MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

MENSE DECEMBRI 1941

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

FOR CIRCULATION AMONG OURS ONLY

WOODSTOCK COLLEGE PRESS

N. 4. MENSE DECEMBRI 1941

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

RES ROMANAE

De celebratione IV[i] Centenarii Societatis. — Indictum erat ut nostra festa centenaria celebrarentur Romae mense aprili, eo scilicet mense quo anno 1541 Sanctus Ignatius et primus Praepositus Generalis electus est, et simul cum aliis primis sociis sollemnem edidit Professionem religiosam.

Initium fecit festorum triduum sollemne celebratum diebus 20-22 aprilis in nostro templo SS. Nomini Iesu sacro. Supra eius fores medias haec inscriptio eminus legebatur:

A. M. D. G.

NEL IV CENTENARIO DALLA SUA FONDAZIONE
LA COMPAGNIA DI GESU'
MEMORE DELLA PAROLA DEL SUO DIVINO RE
"EGO VOBIS ROMAE PROPITIUS ERO"
INVITA I FEDELI ROMANI
A RINGRAZIARE IDDIO PER LA PROMESSA
MANTENUTA IN QUATTRO SECOLI DI VITA
E AD IMPLORARE NUOVE BENEDIZIONI
SULLE FATICHE VENTURE.

Templum ipsum ornatum erat magnificentissime, ut in festis sollemnioribus anni. Primo die Missam celebravit lectam R. P. Vicarius, cui facile 2.000 hominum adscriptorum operi "Ritiri di Perseveranza" adfuerunt. Hora 9ª sacrum sollemniter litatum ab Em.mo Card. Verde. Templi amplitudo repleta erat iuvenibus ad Congregationes Marianas maxime pertinentibus. Gratissima accidit omnibus Missa dialogata in cantu, quippe pro multis res nova et insolita. Vespere R. P. Gilla Gremigni, Missionarius SS. Cordis, Camerarius Parochorum Romanorum, ad confertam fidelium multi-

tudinem sermonem habuit, disserens eleganter de opere Missionario Societatis. Sollemnem Benedictionem Eucharisticam impertiit Em.mus Card. Pellegrinetti.

Altero die, hora 9ª Missam cum cantu celebravit Em.mus Card. Caccia Dominioni, adstantibus pluribus Apostolatus Orationis sociis: viris, feminis, necnon pueris puellisque Cruciatae Eucharisticae. Vespere R. P. Vigilius de Valstagna, ex-Minister Generalis FF. Minorum Capuccinorum, Praedicator Apostolicus, eloquentem habuit contionem de meritis Societatis in docenda et defendenda veritate. In tam late patenti et ad perorandum aptissimo campo nostrae historiae, ille se non solum doctum et oratorem demonstravit, sed amicum sincerum et ardentem Societatis. Gaudio ingenti sibi esse dixit posse palam publiceque exprimere Societati admirationis et grati animi sensus, non solum suiipsius proprios, sed etiam totius Ordinis Capuccinorum. Et sane hoc dictum ipse Capuccinorum Minister Generalis, Rev.mus P. Donatus a Welle, qui aderat, cum Patre Nostro paulo post colloquens, tamquam omnino veritati respondens confirmavit. Sacrae functioni finem fecit trina Benedictio Eucharistica data ab Em.mo Card. Pizzardo.

Ultimus dies non pauca memoratu digna amplexus est. Primo mane in Basilica S. Pauli extra muros fere 400 e Nostris congregati sunt. Ante illam ipsam imaginem B. M. Virginis, quae die 22 aprilis 1541 sollemnem professionem religiosam Sancti Parentis Ignatii et sociorum benigna exaudierat, adstantibus Rev.mo P. Abbate Primate PP. Benedictinorum cum R. P. Abbate monasterii S. Pauli, Nostro A. R. P. Generali, et, quos dixi, Nostris ex omnibus romanis domibus confluentibus, R. P. Vicarius Missam lectam recitavit. Calix ipse quo ad sanctum sacrificium utebatur, fuerat olim consecratus a S. Pontifice Pio VII, qui Abbas fuerat in eodem monasterio S. Pauli. Sua impulsus humanitate et benevolentia voluerat praeterea R. P. Abbas ut omnes PP. sui monasterii illo die Missam offerrent ad intentionem N. P. Generalis. Finita Missa, Pater Noster, sumpto exordio ex illis verbis: "*Ego vobis Romae propitius ero*", adhortationem ad nostros habuit, adiunctis temporis et loci accommodatissimam. Orationem subsecuta est expositio SS. Sacramenti, consecratio Societatis SS. Cordi, nova formula ad hoc composita, denique Benedictio Eucharistica, quam dedit ipse P. Generalis.[1]

---

[1] Paucis mensibus post, cum Pater Noster monasterium Sancti Pauli adiisset, ad festa Sancti Ignatii Rev.mum Patrem Abbatem invitaturus, ei dono obtulit ligneo margine pulchre circumdatam magnam photographiam imaginis B. M. Virginis, "*Reginae Societatis Iesu*", quae in eadem Basilica Sancti Pauli colitur. Tabella hac inscriptione erat ornata:

Hora 10 cum dimidio, in templo SS. Nominis Iesu Missam sollemnem ritu pontificali celebravit Em.mus Card. Boetto, qui nostris festis participaturus venerat ex sua sede archiepiscopali Genuensi. Aderant Nostri Romae degentes, necnon plurimi ex vicinis Collegiis Aricino et Tusculano qui eo ipso die mane Romam convenerant, auditores Universitatis Gregorianae et Institutorum Biblici et Orientalis, lecti manipuli alumnorum Seminarii Maioris Romani et Collegii Urbani de Propaganda Fide, cum suis quisque Rectoribus, magna denique populi multitudo. Alumni Universitatis concentu simplici et egregio Missam dictam "*de Angelis*" interpretati sunt.

Hora prima postmeridiana ad prandium in Curiam invitati convenerunt Em.mi Cardinales Verde, Maglione, Pellegrinetti, Marmaggi, Fumasoni Biondi, Pizzardo, Boetto, Caccia Dominioni; praeterea Pontificii caerimoniarum praefecti et duo Patres contionatores. Omnes deinde in aula recreationis magna simplicitate et familiaritate cum omnibus Patribus Curiae conversati sunt.

Vespere, hora consueta, maxima quae esse poterat populi frequentia, Em.mus Card. Salotti, pro sua eloquendi facultate, de sanctitate in Societate praeclaram atque egregiam habuit orationem. Plures, quos amplitudo templi capere non poterat, in praeexstante platea detinebantur, sacra verba oratoris quantum fas esset audituri. Mox Em.mus Card. Maglione, Secretarius Status Suae Sanctitatis, hymnum Te Deum praececinit, universa corona Nostrorum fideliumque concinne respondente. A quo etiam trinam Benedictionem Eucharisticam omnes reverentes acceperunt. Sic clausae sunt triduanae religiosae festivitates. Per triduum, opusculum perbelle confectum "*La Compagnia di Gesù nel suo IV Centenario*", larga profusione inter fideles distributum. Haec festa religiosa IV centenarii tam sollemniter celebrata nulla aptiore ratione claudi potuerunt quam sollemni audientia a Summo Pontifice in festo S. Petri Canisii, 27 aprilis, benigne concessa. Habita est in amplissima quae dicitur "Aula Benedictionum". Hora statuta Nostrorum plurima pars convenerat in aulam, Beatissimum Patrem audire cupida. Assidebat non longe a throno A. R. P. Generalis, stipatus R. P. Vicario, PP. Assistentibus, reliquis Patribus Curiae, Superioribus domorum. Post hos in appositis subsellis, rectis ordinibus consessi collocabantur Nostri: Patres, Scholastici, Novicii, Fratres

---

1541 — 22 APRILIS — 1941

ILL.MO ET REV.MO P. D. HILDEBRANDO VANNUCCI O. S. B.

SANCTI PAULI DE URBE ABBATI ORDINARIO

SOCIETAS IESU

GRATI ANIMI ERGO

Coadiutores. Convenerant etiam multi ex insignioribus amicis Societatis aliive nobiscum speciali ratione coniuncti, caterva bene multa auditorum Universitatis Gregorianae, Instituti Biblici et Orientalis, alumni Collegiorum Romani et Tusculani, sodales Congregationum Marianarum, Apostolatus Orationis, Associationis Missionariae Studentium (L. M. S.), Operis *"Ritiri Operai"*, intellectuales laici frequentantes cursus Instituti Superioris Culturae Religiosae, alii denique quibus Nostri operam spiritualem navare solent.

Hora 10ª Summus Pontifex, sella gestatoria portatus, ingressum fecit in aulam, frequentissimis plausibus et acclamationibus acceptus. Postquam in throno assedit, A. R. P. Noster brevem orationem pronuntiavit, gratias Ei agens de audientia benigne concessa, et sensa aperiens filialis devotionis, non sua solum, sed etiam totius Societatis. Tunc propius accedens flosculos spirituales pergamena descriptos obtulit Sanctissimo Patri. Hi, quamquam per adiuncta belli ex multis Provinciis et Missionibus Societatis numeros recipere non licuit, tamen ad plura millium millia operum bonorum pervenerunt. En textum inscriptionis in pergamena contentae:

"Beatissimo Patri — Pio XII — Christi in terris Vicario — SOCIETAS JESU *— a prima sui Apostolica approbatione — quarto exeunte saeculo — pii gratique animi ergo — venerabunda offert ac dedicat"*.

Summa obsequiorum spiritualium fuit.

SS. Missae in 1ª int.	22.475	Coronae B. M. V.	1.296.266
SS. Missae in 2ª int.	48.451	Oration. iaculator.	15.125.538
SS. Missae auditae	1.019.819	Mortificationes	3.686.780
SS. Communiones	960.962	Actus aliar. virtut.	7.378.499
Visit. SSº Sacramento	2.074.330		

Aliud etiam donum Pater Noster obtulit, quod Summo Pontifici accidit gratissimum: pulchrum reliquiarium, triptici forma, opere argenteo et aureo decoratum, pelle rubra contectum, in quo arte collocatae includebantur reliquiae sacrae omnium Sanctorum Societatis. Sanctissimus Pater tam diversi generis donis summopere delectatus, postquam ea semel atque iterum conspexit, signo facto respondendi, laetari Se dixit, quod Sibi liceret quasi praesentem cernere universam Societatem, circum Christi Vicarium congregatam. "Voluistis, ait, Nos participes reddere vestri gaudii e celebratione IV Centenarii resultantis; Nos vero vobiscum ex animo exsultamus, bene conscii vestram Societatem semper voluisse, et etiamnunc velle totam quantam servitio Vicarii Christi esse devotam. Potuit Marcellus II dicere primo Praeposito Generali: *"Tu milites*

collige et bellatores instrue; Nos utemur" . . .[1] Orationem subsecuta est Benedictio Apostolica toto corde impertita omnibus filiis Societatis, tam praesentibus quam absentibus.

Accepta Benedictione, A. R. P. Generalis, PP. Curiae, Domorum Superiores, et ex aliis classibus adstantium bene multi ad thronum accesserunt, manum et pedem Beatissimi Patris osculaturi. Interim Schola cantorum Scholasticatus Romani acclamationes, magnis concursus vocibus exceptas, praecinebat. Hora 11ª cum dimidio, SS. Pater, benigne subridens ac benedicens dextra laevaque genuflexis, aulam reliquit. Huius audientiae imperiturae memoriae plures photographiae expressae sunt.

Curriculum festorum occasione nostri IV Centenarii celebratorum, feliciter clausum est Romae in Universitate Gregoriana. A die 5ª ad diem 11am. novembris, singulis per hebdomadam diebus, habitae sunt sequentes conferentiae:

Die 5ª *L'insegnamento della Teologia Dogmatica nella Compagnia di Gesù.* P. Iosephus Filograssi. — Die 6ª *Metodi di studio e di insegnamento della Teologia Morali nei grandi Dottori della Compagnia.* P. Ulpianus López. — Die 7ª *La Compagnia di Gesù e gli studi biblici.* P. Augustinus Bea. — Die 8ª *La Compagnia di Gesù e l'apostolato scientifico fra gli Orientali.* P. Ignatius Ortiz de Urbina. — Die 9ª *Il contributo della Compagnia di Gesù alla formazione delle scienze storiche.* P. Petrus Leturia. — Die 10ª *I metodi dei grandi missionari della Compagnia di Gesù alla luce dei recenti documenti pontifici.* P. Paschalis D'Elia.

Sic, auditorum mentes illustratae de rebus Societatis, animique accensi, parabantur ad sollemnem sessionem diei 11 novembris.

Eo igitur die, qui per schedam personalem fuerant invitati, tempestive convenerunt. Spatium centrale Universitatis erat decoratum pretiosis aulaeis, vitam Sancti Parentis illustrantibus. Ante statuam marmoream nostri Salvatoris, satis e solo elevatum ac prominens tabulatum fuerat paratum pro choro et orchestra. Locis praestantioribus assidebant S. A. R. D. Ioannes de Borbón, Comes de Barcinone, cum coniuge; Princeps Gabriel de Borbón; Em.mi Cardinales: Gasparri, Salotti, Verde, La Puma, Tedeschini, Pellegrinetti, Pizzardo, Cattani, Caccia Dominioni; multa membra Corporis Diplomatici; plures Archiep.pi atque Ep.pi, Superiores generales Ordinum Religiosorum, viri primarii nobilitatis Romanae, plurimique alii e coetu clericali et laicali.

Cum pro suggestu dicturus processit A. R. P. Noster, magnis plausibus exceptus est. Pauca praelusit de ratione celebrationis nostri IV Centenarii. Omnibus, tam praesentibus quam absentibus,

---

[1] In proximo fasciculo *Actorum Romanorum* tota Pontificia allocutio italice ut prolata est exhibebitur, addita versione latina.

quotquot suam operam in celebrationem Centenarii contulerunt, gratias egit ex animo. Denique, "opportunum duximus, subiunxit, claudere circulum nostrorum festorum hic Romae, offerendo benevolentissimis amicis nostris Oratorium Sacrum, cui titulus *"Ignatius de Loyola"*, filiali amore compositum a duobus Patribus Societatis, ad revocandam memoriam nostri Sancti Fundatoris". Tunc gratias egit Directioni Generali Instituti "E.I.A.R." (Ente Italiano Audizioni Radiofoniche), quae ultro suscepit primam exsecutionem Oratorii. Haec initium habuit hora 5ª cum quadrante. Omnes stationes italicae "E. I. A. R." colligatae cum Romana statione, necnon Radio Vaticana, mittebant Urbi et Orbi per aereas undas laudes Sancti Ignatii, musicis concentibus transvectas.

Verba ipsa Oratorii composuerat P. Florentinus Ogara (Cast.), quae modis musicis illigavit P. Georgius Strassenberger (Germ. Super.). Opus dividitur in tres partes: prima prae se fert Ignatium pugnantem Pampilone contra hostes visibiles, contra invisibiles Loyolae. Vicit gratia animum Ignatii, cum quo angelicus chorus concinit strophas hymni *"Iesu, Rex admirabilis"*. Secunda commemorat Ignatium vigilantem noctem in templo Virginis Monserratensis, exercitia spiritualia Manresae peragentem, in Palaestinam navigantem, grammaticam latinam inter pueros discentem et varias fraudes diaboli scite vincentem, in vinculis denique, non victum, sed victorem, canentem versum Paulinum: *"Quis nos separabit a caritate Christi?"* Tertia praebet fundationem Societatis, eius operam instituendae iuventutis, evangelizationem infidelium, etc. Totum opus concluditur mirabili choro finali ad signa, seu vexillum Sancti Ignatii: *"Signa docta primis imperare praeliis, signa pacis, pacis et victoriae"*. Tam compositio ipsa Oratorii, quam eius executio, a viris in arte peritis magnis laudibus cumulata sunt. Per horam et amplius auditores, qui ad manum habebant libellum versuum latinorum cum respondente versione italica, nullum signum defatigationis dedere, multa delectationis. Ultimae cantorum et instrumentorum mirabiles symphoniae multis plausibus exceptae sunt.

Festa alibi celebrata. — Quandoquidem communi quodam vinculo inter sese conectuntur, liceat romanis iungere festis festa habita in Universitate Catholica Mediolanensi et in urbibus Patavina et Cuneensi, quartum Centenarium celebrando.

Mediolani. — R. P. Augustinus Gemelli, O. F. M., Rector Magnificus illius Universitatis, princeps earum auctor fuit impigerque promotor. Programma, late per multam partem Italiae diffusum, eam celebrationem praeludebat, in qua praestantia oratorum cum amplitudine Universitatis in laudanda Societate amice coniungere-

tur. Academicas orationes habituri erant viri illustres, tam e claustro Professorum quam e Societate nostra. Igitur per decem continuos dies, nimirum diebus 2-11 maii, disseruerunt:

1. P. Angelus Brucculeri, S. I., e Collegio Scriptorum: "La Civiltà Cattolica". "Doctrina oeconomica in Societate Iesu".
2. P. Ioannes Stein, S. I., Academicus Pontificius, Director Speculae Astronomicae Vaticanae. "Societas Iesu et scientiae physico-mathematicae".
3. D. Orio Giacchi, Professor extraordinarius Iuris Canonici in Universitate SS. Cordis. "Societas Iesu et scientia Iuris".
4. P. Antonius Ferrua, S. I., e Collegio Scriptorum: "La Civiltà Cattolica". Professor in Pontificio Instituto Archaeologiae christianae. "Studia latinitatis et Societas Iesu".
5. P. Alfredus de Biase, S. I., Professor in Instituto "Pontano" Neapolitano. "Societas Iesu et litterae Italicae".
6. RR. DD. Amatus Masnovo, Professor ordinarius Philosophiae et Praeses Facultatis Philosophicae in Universitate SS. Cordis. "Societas Iesu et sua activitas philosophica".
7. P. Engelbertus Kirschbaum, S. I., Professor Historiae Ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana. "Societas Iesu et ars sacra".
8. D. Ambrogius Ballini, Professor linguae et litterarum sanscritarum in Universitate SS. Cordis. "Opera indologica Societatis Iesu".
9. P. Marius Barbera, S. I., e Collegio Scriptorum: "La Civiltà Cattolica". "Paedagogia in scholis Societatis Iesu".

Ultima die habita est commemoratio sollemnior in aula magna Universitatis, intervenientibus Emmis. Card. Boetto, Archiepiscopo Genuensi, Card. Schuster, Archiepiscopo Mediolanensi, A. R. P. Nostro Generali, Professore Pestalozza, Rectore Magnifico Regiae Universitatis Status, aliisque e primariis viris societatis Mediolanensis. RR. DD. Franciscus Olgiati, Protonotarius Apostolicus et Professor in eadem Universitate, ornatissimam habuit orationem, qua explicuit sensum historicum Societatis per quattuor saecula indefesse operantis. Plausus unanimes auditorum pro laudibus oratori fuerunt. Ii postquam cessarunt, omnes assurgunt, paternum telegramma Suae Sanctitatis audituri. Denique, Emmus. Card. Boetto, nomine Societatis, gratias egit omnibus qui in paranda hac celebratione centenaria adlaborarunt. Universitas monumentum perenne huius celebrationis exstare voluit librum, propriis sumptibus editum, cuius paginis omnes conferentiae habitae continentur.

Patavii. — Cives Patavini paraverant Societati celebrationem centenariam minime vulgarem. In media fronte templi Cathedralis, litteris praegrandibus, haec inscriptio legebatur: "Nel IV° Centenario della Compagnia di Gesù — PADOVA — che l'Ordine nei suoi primordi accolse — grata per l'apostolato giovanile — per la guida sapiente delle anime —innalza a Dio — inni di riconoscenza". Optimo augurio vertebatur quod invitaverant R. P. Alexium Ambro-

sium Magni, Assistentem Italiae, per 30 annos in illo nostro Convictu Universitario de tota civitate bene meritum. Urbs generosa, quae suis aedibus primum Collegium Societatis hospitem habuit, dignum sui animi grati et obsequentis testimonium reddidit Societati. Ex desiderio expresso Excmi. Episcopi actus religiosi celebrati sunt in ecclesia Cathedrali, quo patuit clarius voluntas civium in honoranda Societate.

Cunei. — Neque vero minorem Societati amorem quam Patavini, cives Cuneenses demonstrarunt. A die 5 ad diem 12 octobris tota civitas quotidiana recordatione nostrum IV Centenarium commemoravit. Academicis celebrationibus in aula maxima nostri Collegii initium dedit conferentia Patris Caelestini Testore, quam singulis per hebdomadam diebus aliae ab egregiis oratoribus dictae subsecutae sunt. Iisdem diebus crebri visitatores accurrebant ad visitandam expositionem de historia et operibus Societatis, quo fiebat ut quae prius de ea audivissent in aula, postea oculis conspecta confirmarentur. Exspectabatur in ultima sessione, quae circulum conferentiarum clauderet, oratio R. P. Alexii Ambrosii Magni, Assistentis Italiae, quem sui repraesentantem illuc miserat A. R. P. Generalis. Ille summa cum benevolentia exceptus est et summa attentione exauditus. Argumentum dissertationis fuit: *"L'anima della Compagnia di Gesù"*, quod ille tanta arte studioque evolvit ut animos Cuneensium ab exordio usque ad finem facile arriperet. Dicentem plausus multus consecutus est et grata contionis admurmuratio.[1]

Curia Societatis. — R. P. Norbertus de Boynes, Assistens Galliae, recuperata valetudine quae in grave discrimen adducta erat post chyrurgicum medicorum interventum, tandem ad nos sospes rediit mense iulio. — P. Vincentius McCormick (Maryl. N. E.), qui ab anno 1933 fuit Rector Universitatis Gregorianae, nunc manet addictus Curiae ut Revisor Generalis. — P. Franciscus Santesteban, relicto munere Ministri Patri Iosepho Martí (Arag.), rediit in suam Provinciam Castellanam. In eamdem regressus est P. Gabriel Huarte, qui per 32 annos Romae vixerat variis muneribus occupatus. Docendae theologiae causa destinatus est Collegio Maximo Oniensi. — Etiam rediit in suam Provinciam Aragoniae F. Coadiutor Antonius Arribas, qui officio pictoris et Socii Postulatoris generalis

[1] Spes est fore ut, pace restituta, edi possit Liber Memorialis celebrationum IV[i] Centenarii S. I. in mundo universo, qui continebit omnia pulchre dicta et acta in laudem Societatis. Hoc nunc fieri non potest, etiam quia ex plerisque Provinciis et Missionibus relationes completae non sunt acceptae.

per 18 annos in Curia functus erat. — Die 11 novembris in valetudinario Curiae suavissime in osculo Domini quievit P. Arthurus Codina (Arag.). Ille pertinebat ad Domum Scriptorum Societatis ad Curiam. De eo notitiam necrologicam in proximo fasciculo Memorabilium reportabimus.

Ratio Studiorum Societatis nova edita est in Typographia Vaticana. Hinc exemplaria missa sunt ad Provincias Europae. R. P. Zachaeus Maher, Assistens Americae, illam reimprimendam curabit et mittendam in alias Provincias et Missiones Societatis. — *Nova editio Epitomes* paratur, quae simul cum Constitutionibus in uno eodemque volumine, mox in lucem prodibit.

Causae canonizationis et beatificationis. — Nuper prodiit novus *Catalogus ac Status Causarum* quae apud Sacram Congregationem Rituum iam delatae sunt et nondum ad exitum sunt deductae; ingens sane numerus, qui sanctitatem Ecclesiae vel ipsa sua arida recensione evidenter comprobat et sub oculos ponit.

In illo Catalogo Societas perbelle comparet: nam non minus 50 ibi nostrae recensentur Causae, quarum 4 Beatorum ad canonizationem (nam soli Beati quorum Causa est ex officio *reassumpta* computantur), reliquae Servorum Dei ad beatificationem etsi non pari gressu properantes. Beati sunt: Ioannes de Britto et Bernardinus Realino, de quorum canonizatione iam omnia acta praevia sunt expleta usque ad decretum "*tuto procedi posse*" die 15 augusti huius anni latum; Claudius de la Colombière et Iosephus Pignatelli, quorum intercessione quaedam mirae sanationes perhibentur obtentae, et de duabus ex iis apostolici processus perfici potuerunt, sed desiderantur adhuc alia duo miracula (unum pro unoquoque Beato).

Ad primos duos quod attinet, utrum sollemnis eorum canonizatio brevi futura sit an forte in aptius tempus amandanda, Summus Pontifex nondum decrevit. Interea ad eam proxime parandam studiosissime adlaborant cum Postulator Generalis, P. Carolus Miccinelli, tum, eodem moderante, P. Salvator Tufano (Neap.) pro Beato Realino, et P. Tobias Ferraz (Lusit.) pro Beato de Britto, cuius supremos honores summo item studio urget etiam Excellentissimus Legatus Lusitaniae apud Sanctam Sedem. Actuose simul parantur biographiae, quae italice edi solent et late distribui occasione canonizationis: de Beato Realino eam exarat P. Iosephus M. Germier (Neap.), de Beato de Britto optimus vir laicus Doct. Caesar Moreschini.

Ex Servis Dei de Societate, quorum Causae in memorato Catalogo Sacrae Rituum Congregationis numerantur, recentissimus est P. Thomas Esteban (Castell.), qui in Sinis, a communistis de-

tentus, anno 1934 interiit; ei proxime accedit Fr. Coad. Franciscus Garate (Castell.), qui ianitoris munere per 41 annos sanctissime functus est in Universitate Deustensi (Bilbao), ibique anno 1929 obiit.

Quod ad statum Causarum, praeter binas proximas canonizationes de quibus supra diximus, felici cursu (quantum per difficultates huius temporis licet) progrediuntur Causae PP. Olivaint et Sociorum, P. Ginhac, P. Berthieu, P. Tarin, P. Petit, P. Friedl, etc., ut de recentioribus tantum loquamur; de P. Roothaan, editis iam octo voluminibus scriptorum, nunc exspectatur iudicium Sectionis historicae Sacrae Rituum Congregationis, quo habito, de Introductione Causae statim agi poterit.

In illo Catalogo officiali locum non habuerunt aliae quaedam Causae, quae apud Ordinarios locorum adhuc aguntur sed Romam nondum delatae sunt: huiusmodi sunt v. gr. Causae P. Caroli Odescalchi († 1841), cuius processus nunc re vera Romam pervenerunt sed post editum Catalogum, Petri Barbarić († 1897), iuvenis clerici Croatici, paucis diebus ante mortem in Societatem recepti, P. Saturnini Ibarguren († 1927), P. Ignatii Arámburu († 1935) etc.

Neque abs re erit hic commemorare Causam nostro Postulatori commissam Servae Dei Catharinae Tekakwitha († 1680), virginis Iroquensis, a Nostris baptizatae et in vita spirituali assidue excultae (Cf. *Acta Rom.* vol. IX, 1939, pag. 329, nota). Sectio historica Sacrae Rituum Congregationis, post accuratum examen, Causae Introductioni favit, quae re vera decreta est die 19 maii 1939. Hoc ipso mense decembri Congregatio praeparatoria habita est de eius virtutibus.

De Congregationibus Marianis. — Vix sex hebdomadis elapsis postquam editus est liber *Cavalieri di Maria*, auctore R. P. A. Magni, 3.000 exemplaria vendita sunt; in 96 paginis exhibetur iucunda explicatio CC. MM., ad usum non Directorum sed ipsorum sodalium accommodata; in praeparatione sunt versiones hispana, lusitana, anglica. — In Brasilia circa 4.000 exemplarium vendita sunt libri *In Familia Dei*, scripti lingua lusitana a P. W. Mariaux S. I., Directore Secretariatus Centralis. Hic liber est primus ex septem quos ad spiritualem et apostolicam Sodalium formationem Secretariatus pro opportunitate temporum diversis linguis editurus est. Praeparantur etiam parvae biographiae omnium Sanctorum et Beatorum qui ad CC. MM. pertinuerunt. — Hebdomada quae proxime antecedit *Diem Mundialem* CC. MM., Radio Vaticana animos audientium ad illud festum bene celebrandum accendit. Nimirum: de illo festo deque progressu CC. MM. ubique terrarum anno superiore facto, locuta est pluribus emissionibus ac linguis

diversis: anglica (ter), gallica, germanica (bis), hispanica (ter), italica, lusitana (bis), neerlandica. — Occasione congressus CC. MM. dioeceseos Lugdunensis, cui praefuit Em.mus Card. Gerlier, Sodales habuerunt repraesentationes scaenicas, quibus exprimebant laborem *regenerationis* Galliae, quam ipsi ope propriae regenerationis et familiarum secundant. — Mense aprili Dux Pétain, cum ex ephemeride CC. MM. Lugdunensium cognovisset earum apostolatum indefessum, in testimonium admirationis et laudis dono dedit praesidi Confoederationis imaginem suam photographicam autographo dicatam. — Periodicum *Nouvelle Revue de Hongrie*, in fasciculo mensis martii sub titulo: *Iuvenis quidam in doloribus atque in divino amore fortissimus*, referebat cultum popularem in dies crescentem erga Sodalem Hungaricum Stephanum Kaszap. Ille, admissus ad C. M. annos natus 15, mortuus est Novicius Societatis Iesu anno 1935. Duae editiones illius biographiae typis mandatae sunt, quarum altera prae se ferebat gratias singulares eius intercessione obtentas.

ASSISTENTIA ITALIAE

Generalia. — Nostri Capellani militares, circiter 40, optimos fructus colligunt, tum inter duces, qui valde obsequentes se ostendunt erga sacerdotes capellanos, tum inter milites qui eorum operam exoptant et large adhibent. Tempore Paschae plurimi ab eis ducti sunt ad SS. Sacramenta. Omnes capellani, sive qui in acie operam suam praestant sive qui in nosocomiis, optima exempla narrant, aedificatione plena. Pater Noster eos hortatus est ad laborem tam arduum et tam proprium Societatis totis viribus prosequendum.

Romana. — *Antiqua Domus Professa Societati reddita.* Veneranda universae Societati Domus Professa Romana, ad templum SS.i Nominis Iesu collocata, de qua egerat Pater Noster litteris datis die 28 nov. 1938 ad omnes Provinciarum Praepositos [1] demum tota quanta nobis reddita est. P. Petrus Tacchi Venturi, qui tantam operam diligentiamque in ea acquirenda posuerat, scribebat Patri Nostro die 9 ianuarii: "Deo gratias! hoc mane, hora 10,30, Societas ingressa est in plenam possessionem aedium antiquae Domus Professae Romanae. Magnum factum in nostra historia domestica! Benedicamus Domino, cui placuit ut illud eveniret

[1] Cf. A. R., 1938, pag. 218, et Memorab. vol. VI, 1037, pp. 1 et sqq.

in generalatu Paternitatis Vestrae, annis fere aequali generalatui Patris Claudii Aquaviva, sub quo domus ipsa a fundamentis erecta est". Interim eam incolunt, praeter Praepositum Provinciae Romanae cum sua Curia, et Patres Residentiae ad *Gesù* addictos, partim Philosophi Provinciae Romanae, quorum Superior est P. Petrus Smulders, (Neerl.), partim alumni Collegii Germanici, dum exsurgit nova sedes quae modo pro ipsis construitur.

Calix oblatus a Praefecto Urbis templo SS. Nominis Iesu. — Ab anno 1597 vetus consuetudo fuit magistratibus populi Romani dono offerre nostro templo SS. Nominis Iesu calicem, in testimonium grati animi ob sacra ministeria in Urbe a Nostris impigre exercita. Paucis annis post, etiam templo Sancti Ignatii similem oblationem facere constituerunt, intuitu vel maxime institutae a Nostris iuventutis in Collegio Romano.

Inter Urbis magistratus qui decretum donationis sanxerunt, numerabatur quidam e clarissima familia Borghese, quae, duce Marco Antonio, Pauli V progenitore, coepit mirifice affici erga Ignatium et ab eo fundatam Societatem. Haec nobilis traditio anno 1870 misere interrupta est. Ast qui nunc tenet gubernacula Urbis Exc.mus D. Ioannes Iacobus Borghese de illa opportune edoctus, voluit eamdem in pristinum usum redintegrare. Igitur die 31 mensis decembris anni 1940, post cantum hymni Ambrosiani, cui Urbis Gubernatores ex antiqua traditione in nostra ecclesia publice assistere solent, ille cum suo comitatu sacristiam ingressus, nomine populi Romani, ruptam traditionem resumens, pretiosum calicem ex argento deaurato templo Farnesiano obtulit. Pater Noster, recepto dono, brevibus verbis ei gratias egit ex animo. Sollemnitate fere aequali idem Exc.mus Urbis Praefectus die Sancti Aloisii Gonzaga alium pretiosum calicem obtulit templo Sancti Ignatii. Atque ita deinceps singulis annis fiet.

Specula Vaticana. — Die 14 martii huius anni completi sunt 50 anni a fundatione Speculae. Nostri Patres eius curae addicti praeparant nunc volumen IX *Atlantis Stellarum Variabilium*, et *Atlantem terrarum singularium*. Curabunt ut etiam publico magis innotescat labor Speculae. — Ex voluntate Summi Pontificis altera Specula Photographica, quae hucusque remanserat in hortis Vaticanis, transferetur etiam in Castrum Gandulfi. Iam in *Villa Barberini* erigitur nova turris quae illam recipiet.

Occasione septuagesimi anni Patris Ioannis Stein (Neerl.), Directoris Speculae Astronomicae Vaticanae, Summus Pontifex sua sponte sub propriam imaginem photographicam sequentia verba inscribere dignatus est:

Dilecto filio Iohanni Stein, S. I. Astronomicae Vaticanae Speculae Moderatori, LXX natalem celebranti, paterno studio optamus, ut peritus siderum investigator et sollers virtutum custos, siderum Regem genuino impensiore semper honoret obsequio, atque ipsi et sodalibus adiutricem ei operam navantibus amanter benedicimus".

VI Kal. Martii, anno MDCCCCXXXXI.

PIUS PP. XII.

Intra aedes Pontificii Collegii Russici institutus est quidam Convictus Ecclesiasticus pro sacerdotibus orientalibus, sub patrono coelesti Sancto Ioanne Damasceno, dependens a Pontificio Instituto Orientali. Eius Rector est ipse Rector Instituti Orientalis, Vicerector P. Antonius Wuyts (Belg. Sept.), Praefectus spiritus P. Stephanus Sakač (Croat.). His adiunctis difficilibus alumni numerantur tantummodo 11.

Periodicum *La Civiltà Cattolica,* etiam his temporum adiunctis durioribus, latius in dies spargitur. Hoc anno 2.000 novos subscriptores assecutum est. — A mense octobri editur libellus pro benefactoribus et amicis Provinciae Romanae, cui titulus *Romana.* Cum nequeant ex lege nunc nova periodica edi, non prodibit singulis mensibus, sed aliquoties in anno. — Editio omnium operum Patris Matthaei Ricci, S. I. a P. Paschali D'Elia (Neap.) parata, a Regia Academia Italiae declarata est editio Nationalis. Hic Pater decoratus est nomine et officio Liberi Docentis in Regia Universitate Romana.

A Sancta Sede nobis oblatum est templum apud *La Storta,* qui locus tam carus Societati semper fuit. Templum ipsum, cuius adhuc exstant muri ante aliquot annos exstructi (nam postea exstructio intermissa est), nobis tradetur ex omni parte perfectum, cum domo contigua mox erigenda. Nostri ex hac Residentia, ut speratur, poterunt vicina loca evangelizare per missiones excurrentes. Societas gratissisma est Summo Pontifici, qui in hoc anno centenario dignatus est illi offere tam carum memoria locum.

Mense augusto a Summo Pontifice renuntiatus est Rector Pontificiae Universitatis Gregorianae P. Paulus Dezza (Ven.-Mediol.). In ea biennium fuerat Professor Metaphysicae Generalis. Dein per 4 annos rexit Provinciam Venetam; ab anno denique 1939 erat Rector nostri Instituti Philosophici Gallaratensis eiusdem Provinciae.

Neapolitana. — Die 22 septembris Seminarii Pontificii Catacensis (Neap.) maxima pars igne destructa est. Fuerat exstructum 30 abhinc annis munificentia Pii X pro institutione cleri Calabri, et a Pio XI anno 1926 commissum Societati. Incolumnes a flammis remanserunt tantum, sacellum, bibliotheca, aula maxima. Damna

maxima fuerunt, sed ignis nullam personam, neque Nostrorum neque alumnorum, quidquam attigit.

Sicula. — Ratione belli 42 e Nostris (Graeci ac Melitenses) insulam relinquere debuerunt; variis in domibus aliarum Provinciarum Italiae recepti sunt.—Octo Patres Provinciae munere capellani militaris funguntur. — In Domo Exercitiorum annexa Noviciatui Bachariensi, per 14 cursus distributi, 217 sacerdotes Exercitia spiritualia peregerunt. — Opera dicta *Ritiri di perseveranza*, directa a Patre Bartholomaeo Padua, quamquam occasione belli difficultatibus non caret, latius semper diffunditur. 13 nova centra creata sunt, quibus adunantur 1.300 membra.

Periodicum *Ai Nostri Amici*, cuius editio mensilis constat 7.000 exemplaribus, pergit spargere cognitionem et amorem nostrae Societatis. Devotionem erga Sanctos nostros indesinenter propagat inter lectores, quibus praeplacet vel maxime devotio erga Sanctum Franciscum Xaverium. Quo tempore preces novendiales dictae *Novena della grazia* in nostris templis peraguntur, distributae sunt inter fideles 75.000 imagines Sancti Patroni Missionum, 38.000 fragmina gossipii contactu reliquiarum eius sacrata, 25.000 programmata ad preces novendiales invitantia. Itaque concursus fidelium frequentior fuit quam annis praeteritis. Durante anno aliae 30.000 imagines inter petentes distributae sunt.

Nostri degentes in Collegio et Residentia Melitensibus videntur omnes bene valere. — Bene etiam, nunc valent ii qui laborabant in Missione Graeca; sed Patres et Fratres Itali, qui in ea vivebant cum exortum est bellum inter Italiam et Graeciam, difficultates passi sunt.

Scholasticatus Provinciae Siculae translatus est a domo Catanensi in novam domum Messanensem, ad hoc exstructam munificentia Excmi. DD. Angeli Paino, Archiepiscopi Messanensis. In Collegii Messanensis aedibus globus explosivus decidens plura damna intulit. Omnes Collegii incolae: Nostri, alumni, familiares, sospites fuerunt. Dato signo periculi incursionis aereae impendentis, P. Provincialis, qui illis diebus visitationem Nostrorum peragebat, cum aliis refugium Collegii petivit. Atqui illud cubiculum, a Provinciali paucis ante momentis relictum, prae ceteris maximam stragem subiit.

ASSISTENTIA GERMANIAE

Provinciae Germaniae. — Patres, etsi impediti gravibus obstaculis, multum et bono successu operantur. — In Collegiis Francofurtensi, Pullacensi, Valkenburgensi freti divino auxilio praesidioque novum annum scholarem inceperunt, attamen cum paucis tantum Scholasticis (et alumnis). Sed multae aliae domus (saltem 12) imprimis in Rhenania et Westfalia proximis mensibus suppressae vel publicatae sunt; generatim vero apud earum ecclesias aliqui Patres pro cultu publico remanere potuerunt. Nonnulli Patres per aliquod tempus carcere aut campo qui dicitur *concentrationis* detinebantur vel adhuc detinentur; alii, aut ex determinata patriae provincia exsiliati, aut sermocinandi libertate privati sunt. — Complura folia periodica, v. g., *Stimmen der Zeit* et *Sendbote des göttlichen Herzens Jesu* iam in lucem prodire non possunt. — Paucissimi sunt Novicii, quia omnes fere adulescentes ad militiam vel ad labores publicos peragendos vocati sunt. — Plus 400 Scholastici et FF. Coadiutores armis, atque multi iuvenes Patres cura et custodia aegrotorum vulneratorumque, stipendia merentur; multi eorum, imprimis sacerdotes, non solum bono exemplo, etiam animabus commilitonum succurrere possunt. Complures Nostri insignibus valoris virtutisque ornati vel ad altiorem militiae gradum promoti sunt; nonnulli in proeliis huius anni vulnerati, aliique (circa 27, inter quos Patres Henricus Möller (Germ. Inf.) et Franciscus Stadelhofer (Germ. Sup.) interfecti sunt; duo autem ut videtur, a Russis capti sunt. Grates sint Deo, quod complures, vel paulo ante pugnam occasionem habuerunt sese s. Communione confortandi, vel moribundi in ipso campo proelii sacro oleo uncti sunt. Cum *paracadutistae* qui dicuntur proprios capellanos non haberent, P. Stadelhofer (Germ. Sup.) desiderio motus eos spiritualiter adiuvandi sponte in eorum acies ingressus erat; apud Corinthum interfectus est. — Proximis mensibus multi Nostrorum militum (c. 50) ex exercitu dimissi in domos nostras reverterunt.[1]

---

[1] Sequentem statisticam nuper acceptam legere iuvabit:

Provinciae	*mortui*	*vulnerati*	*dispersi*	*decorati*
Austriae	2	8	1	20
Germ. Inf.	6	14	—	26
Germ. Sup.	13	6	—	20
Germ. Orient.	6	10	—	8
	—	—	—	—
Universi	27	38	1	74

Hungariae. — In Domo Exercitiorum Budapestinensi superiore anno plures quam 4 milia virorum et iuvenum SS. Exercitia peregerunt, e quibus fere 1.500 prima vice. Foliolum *Manreza,* quod gratis mittitur quater per annum iis, qui SS. Exercitia peregerunt, iam 16.500 exemplaribus prodit.

Urbs Cassoviensis (Kassa), praeclara martyrio BB. Marci Crisini, Stephani Pongracz ac Melchioris Grodecz, imprimis consilio et labore Nostrorum, die 22 iunii SS.° Cordi sollemniter consecrata est. Ipsum Consilium Municipale, etsi tertia pars incolarum sunt non-catholici, mense februario sollemne decretum tulit de civitate Cassoviensi SS.° Cordi consecranda. Ad praeparandum hunc actum religiosum pro omnibus fere classibus civium tridua vel Exercitia spiritualia vel aliae piae functiones habitae sunt, atque multa milia familiarum SS.° Cordi sese consecraverunt; ipse Magistratus urbis cum officialibus et ministris speciale triduum peregit, et actio contra blasphemantes, adiuvantibus valde urbis Praefecto duceque supremo exercitus, inter cives militesque coepta est. In memoriam huius sollemnissimae consecrationis Praefectus urbis ex eleemosynis officialium pulcherrimam fenestram depictam confici et in sacello nostri Collegii collocari iussit.

Lituania. — E Lituania a dominatione Russorum liberata primae venerunt notitiae eaeque laetae. Omnes Nostri sani et salvi sunt, etiam P. Ioannes B. Bružikas et Schol. Alexander Markevičius, carcere per menses detenti, qui iam ante adventum militum Germanorum a populo liberati sunt. — Domus nostrae parvum tantum damnum passae atque Nostris iam redditae sunt. Patres denuo suis consuetis laboribus operantur; attamen nuper Nostri prohibiti sunt quominus sive in Collegio Kaunensi sive alibi docerent. — Inter plus quam 20 sacerdotes, qui a bolscevistis immanissime occisi sunt, est R. D. Dabrila, olim Scholasticus Societatis.

Lettonia. — Rigae Nostri salvi sunt atque operantur sicut antea. Item P. Ioannes Peeperkorn (Neerl.) bene valet. Sed P. Iosephus Pudans a bolscevistis deportatus est et vix iam hodie vivit.

Estonia. — Exc.mum Archiepiscopum Eduardum Profittlich, S. I., Administratorem Apostolicum in Estonia, Russi probabiliter in Provinciam Kasakstan deportarunt; eum, ut fertur, non male tractant. Alii Nostri sani et salvi in ipsa Missione operari pergunt.

Neerlandiae. — Domus Exercitiorum Venlonensis libera relicta est a militibus qui eam occuparant. — In Domo Exercitiorum Spaubeekensi anno currente 3156 viri et iuvenes Exercitia peregerunt

(anno 1940: 2294; anno 1939: 2330; anno 1938: 2415). — Collegii Maximi Traiectensis ad Mosam maior pars a militibus occupatur; Nostri autem etsi valde coartati in eo vitam communem et studia continuare possunt. — Collegia externorum scholas de more instauraverunt. Sed Collegium Haga-Comitanum S. Aloisii et Convictus Christi Regis, occupata propria sede a militibus et ministris publicis, operam continuare non potuit nisi in pluribus domibus conductis. — Folium periodicum *Studien*, Nuntius SS. Cordis, aliaque folia periodica non iam in lucem prodeunt. Tertia Probatio etiam hoc anno habetur in Collegio NN. Berchmaniano Neomagensi. — In Domum Probationis Vallis B. M. Virginis mense septembri 14 novicii ingressi sunt. — Mense augusto aeroplani, qui dicuntur, hanc regionem supravolantes globos dimiserunt: tres explosivi ceciderunt propre Domum, ita ut plurima fenestrarum vitra frangerentur, alii circiter 40 incendiarii in horto inventi et exstincti sunt.

ASSISTENTIA GALLIAE

Generalia. — Vitae ratio Nostrorum in Gallia eadem plus minusve ac anno praeterito perseverat. Separatio completa duarum regionum non pauca affert incommoda, sed ubique ministeria spiritualia cum proximis sine intermissione exercentur: docendo in Collegiis, scribendo in periodicis, fideles colendo missionibus popularibus, secessibus et Exercitiis Spiritualibus, confessionibus, concionibus, sermonibus afflictorum animos erigentibus, etc.—Domus Lugdunensis ad Fourvière habet 185 Theologos, (alii 40 in captivitate retinentur) ; Domus Valsensis numerat 120 Philosophos, (exspectat alios 35 degentes in captivitate) ; Iunioratus Mongrensis recipit 55 Iuniores. — Dolenda nobis est sors 21 Nostrorum occasione belli mortuorum: 11 pertinebant ad Provinciam Franciae, 9 ad Campaniam, 1 ad Lugdunensem. Erant sacerdotes 7, Scholastici 12, Coadiutores 2. — Post reditum in patriam aliquorum (aegrotorum) adhuc manent in captivitate 120: 42 Patres, 70 Scholastici, 8 Coadiutores. Commercium litterarum cum Nostris in Provinciis degentibus non nullum habent, nec sine fructu spirituali eorum quibuscum vivunt, laboriosam agunt vitam.

Editiones librorum et periodicorum Apostolatus Orationis et Actionis Popularis continuantur. *Renouveaux* et *Cité Nouvelle* (bimestris) Lugduni, valde aestimantur et libenter leguntur. Item de more eduntur periodici Provinciae Lugdunensis *Jésuites Missionnaires* et *En Terre d'Islam*, et Parisiis librorum series dicta *Construire.*

Campaniae. — Hoc anno scholastico 1941-42 numerantur in noviciatu 26 Novicii Scholastici et 5 Novicii Coadiutores. — Collegia reaperta sunt magna alumnorum frequentia. Insulanum (Lille) Collegium S. Ioseph habet 500; Remense, 300; Ambianense (collocatum nunc in domo St. Acheul, nam antiqua sedes Collegii mense maio 1940 tota incendio periit), 350; Collegium Boloniense exspectat in praesentiarum tempora meliora. — Decem Patres nostri agunt professores vel directores in aliquot Seminariis Maioribus, supplentque magno Episcoporum gaudio professores e clero saeculari qui adhuc in captivitate retinentur. — A mense decembri 1940 ad finem octobris 1941, 20 Nostri e Provincia ad aeternam vitam transierunt; numerabantur inter eos 5 octogenarii, 5 septuagenarii, 4 sexagenarii. — P. Renatus Arnou, Decanus et Professor in Universitate Gregoriana, qui dum extra Italiam versabatur egit Professorem Philosophiae in Instituto Catholico Lugdunensi, iterum in Urbem regressus, pristinum munus resumpsit.

Franciae. — Omnia Collegia, excepto Parisiensi Sancti Ignatii (Rue de Madrid), aperta sunt in aedibus dimidia fere ex parte liberis. Hac de causa nefas fuit plures recipere alumnos. Collegium alterum Parisiense (Rue Franklin) alumnos numerat 550; Ebroicense (Evreux), 210; Cenomanense (Le Mans), 350; Turonense, 240; Nannetense (Nantes), 330, et I. C. A. M., 40; Pictaviense, 250; Venetense (Vannes), 540; Brestense, 340. — In "Villa Manresa" apud Clamart plures secessus dati sunt sacerdotibus a servitio militari revocatis. Mourensis Domus Exercitiorum suam resumpsit operam dandi secessus et Exercitia Spiritualia. — Festa IV Centenarii intima potius ratione celebrata sunt. Die 27 septembris 1940 Emmus Card. Suhard horas pomeridianas transegit cum Nostris in Residentia Parisiensi (Rue de Grenelle), et trinam Benedictionem Eucharisticam in religiosa sollemnitate impertitus est. In Collegio Nannetensi, necnon aliis in urbibus, nostrae celebrationes honestatae sunt praesentia Episcoporum. — Conferentiae quadragesimales dari solitae in templo Nostrae Dominae Parisiensi, hoc anno datae sunt a Patre Paulo Panici. — Domus Probationis Lavalliensis celebravit die 25 octobris 1940 centenarium Noviciatus. Stabilitus ad aedes Sancti Michaelis anno 1840, 100 annorum spatio in 7 diversa loca migrare coactus est; nunc autem licuit centenarium celebrare eodem primo suae constitutionis loco. Durante hoc saeculo admissi sunt 2.250 Novicii.

Lugdunensis. — In Domo Probationis 10 Novicii hoc anno se adiunxerunt 24 Noviciis anni praecedentis.— Occupatio militaris domorum Parediensis, Isorensis, Dolanae, tota fere cessavit. Residen-

tia Bisuntina (Besançon) nunquam occupata est ab auctoritate militari. Collegium Dolanum habet 200 alumnos; Lugdunense, 1.088; Avenionense, 520; Massiliense, 470; Stephanense (Saint-Etienne), 384; Algeriense, 620.— Nostrae Domus Exercitiorum, etiam inter incommoda non pauca, pergunt recipere exercitantes: sacerdotes, studentes, dirigentes Actionis Catholicae, etc. — Triduana festa nostri IV Centenarii modeste quidem sed intime celebrata sunt Lugduni, Massiliae, Algerii, Sancti Stephani, Niciae, Bastiae, etc. Lugduni ultima celebratione religiosa, cui praesidebat Emmus. Card. Gerlier, trinam dedit benedictionem Eucharisticam Excmus. D. D. Valerius Valeri, Nuntius Apostolicus. — Collegium Maximum Lugdunense, formam amplectens novam apostolatus, aptam, quantum videre fas est, necessitatibus hodiernis, iniit editionem libellorum solida doctrina, modico pretio, facili captu lectorum. Agunt in genere de rebus dogmaticis, moralibus, de Sacra Scriptura, de vita Ecclesiae. Collectio tota inscribitur: *Le Témoignage Chrétien.* — Die 20 iulii in Sanctuario *Dominae Nostrae d'Ay*, commisso Societati ab anno 1836, celebratum est quinquagesimum anniversarium a coronatione imaginis B. M. Virginis. Plus quam 15.000 peregrini accurrerunt. R. P. Provincialis renovavit consecrationem Provinciae Lugdunensis ante venerandam imaginem Dominae Nostrae.

Tolosana. — Hoc anno Domum Probationis ingressi sunt 14 Novicii Scholares et 7 postulantes Coadiutores. — Ad Collegia confluunt alumni in annos numerosiores. Quorum Burdigalense nunc numerat 560, Monspeliense 310, Sarlatense 400, Tolosanum: (Caousou) 610, Sancti Stanislai 190, Purpanense 110. — Pagos dioeceseos Tarbensis et Lapurdensis aliqui nostri Patres spiritualiter coluerunt missionibus popularibus. Aeris temperies frigida, difficultates itinerum, hospitiorum condicio apostolicos labores satis duros reddebant; sed Patres, exemplo Sancti Ioannis Francisci de Régis libenter omnia perferentes, fructus uberrimos collegerunt.— In Domo Exercitiorum *La Bastiolle* memoria dignus est quidam cursus Exercitiorum sacerdotalium. Per 10 solidos dies vacaverunt consuetis exercitiis spiritualibus 24 sacerdotes saeculares, 8 professores Seminariorum, unus Episcopus, unus Archiepiscopus. — Pater Paulus Coulet, pergit exercere apostolatum socialem dando collationes religiosas in pluribus urbibus partis Galliae *non occupatae.* Adhuc in 34 urbibus hoc modo verbum salutis praedicavit. — Prohibitio mittendi in Galliae *regionem occupatam* scripta periodica numerum subnotatorum ad periodica edita ab Apostolatu Orationis diminuit: in parte *non occupata* numerus subnotatorum auctus est. In utraque autem parte petitiones libellorum spiritualium multum creverunt.— Pater Marcellus Gaudart, Collegii Maximi Valsensis, utens adui-

torio aliquorum iuvenum quorum conventus ipse moderabatur, aggressus est mense septembri 1940 ministerium speciale inter operarios otiosos, quorum numerus ratione adiunctorum in dies augebatur. Plaudentibus simul ac iuvantibus auctoritatibus civilibus urbis Aniciensis (Le Puy), necnon Gubernii Vichyensis, 24 officinae laboris apertae sunt, quae fere 2.000 operariorum facile exercent. Postmodum opus Patris Gaudart, protectionem publicam nactum, officialibus cuiusdam Ministerii Status concreditum est. — Patres Carolus Boyer, Praefectus Studiorum Universitatis Gregorianae, et Paulus Galtier, in eadem Universitate professor, dum degerent in Gallia in Instituto Catholico Tolosano recepti sunt; alter nominatus est Director Seminarii Universitarii Pii XI, alter Praefectus spiritus Studentium. In praesentiarum munera utriusque, Universitati Gregorianae redditi, susceperunt Patres Iosephus Subtil et Marcellus Viller, quibus adiunctus est in officio oeconomi Pater Franciscus Wenner. Hi tres pertinent ad Prov. Campaniae.

ASSISTENTIA HISPANIAE

Generalia. — *Exercitia Spiritualia.* Novae domus Exercitiorum aperiuntur.

Barcinone, Consociatio dicta *Opus Exercitiorum Paroecialium* 61 cursus Exercitiorum clausorum tradidit anno 1940, quibus 2.332 sese exercentium interfuerunt.

Ad Sancti Iacobi sepulchrum (Santiago de Compostela, in Gallaecia), tempore Quadragesimae amplius 30 cursus Exercitiorum traditi sunt a Nostris: in quibus mentione digni sunt Sodales Congregationis Marianae Sancti Aloisii, qui simul cum Sociis Iuventutis Actionis Catholicae, 2.000 numero, per sex dies contionibus in nostro templo adfuerunt. Hi omnes, postremo Exercitiorum die, poenitentiae exercendae causa, et 70 eorum cruces portantes, noctu per vicos urbis incesserunt, atque in platea, ad quam circiter 10.000 hominum et mulierum convenerant, ultimam contionem audierunt.

In regione asturicensi Opus, cui nomen *Apostolatus Socialis Catholicus* pergit cursus Exercitiorum tradere opificibus, quos magna ex parte Communismus ab Ecclesia abduxerat. In commentariis nuper ab ipso Opere editis afferuntur litterae eorum, qui Exercitiis interfuerunt, quique omnes uno ore gratias agunt, quod a tenebris erroris in lucem fidei et cognitionis Dei translati sint.

In Domibus Exercitiorum Loyolaea et Durangensi dantur frequenter exercitia clausa operariis. E proximis pagis, variis generibus industriarum operam haud levem dantibus, seliguntur operarii

qui ultro velint per 5 solidos dies Exercitiis vacare. Patroni solvunt tum salarium diurnum familiae operarii, tum pensionem domui Exercitiorum. Hi deinde operarii sunt propagatores Exercitiorum et quasi fermentum religiositatis in reliqua massa operariorum. Anno 1940 in aedibus Loyolaeis Exercitia data sunt 2.200 personis.

Labor catechisticus ubique fervet. Lucenti (Alicante) Nostri instructionem religiosam tradunt circiter 1.000 pueris et puellis. Est praeterea Pater, qui in Scholis et tricliniis publicis de instructione aliorum 6.000 curat. Barcinone Nostri, sive per se ipsi, sive per Sodales Congregationum Marianarum aliosve catechistas, religionem docent amplius 11.000 puerorum et puellarum. Granatae Scholastici nostri et alumni Seminarii Interdioecesani, Nostris commissi, catechizant pueros et puellas ex 11 oppidis et 10 alios catechismos regunt, ita ut circiter 1.500 pueri et 1.000 puellae ab ipsis doceantur. Quibus addendi sunt milites, incarcerati, operarii cuiusdam armorum fabricae... Simile quid dicendum est de aliis Collegiis Nostrorum. Oniae, prope Collegium Maximum, fabricantur aedes ex duabus contignationibus constantes, destinatae docendo pueros doctrinam christianam. Praeter aulam magnam musaeo catechetico et publicis exhibitionibus catechismi destinatam, adsunt 13 aulae minores pro variis sectionibus discentium. Abundant instrumenta docendi: libri, periodici, tabulae pictae, imagines pelliculis impressae etc. Pueri qui instruuntur doctrina christiana tam Oniae quam in pagis vicinis facile numerum milesimum attingunt. Totum opus dirigitur a Patribus ad hoc designatis. Sed etiam Scholasticis nostris erit palaestra qua, iuxta antiquam traditionem nostram, moderate exerceant ministerium tam proprium Societatis.

In carceribus. Barcinone unus Pater est capellanus ordinarius carceris; alius, singulis diebus dominicis ac festis contionem habet radiodiffusam ad omnes urbis carceres. Burgis etiam, in carceribus centrali et provinciali, in quibus fere 6.000 hominum detinentur, unus e Nostris agit capellanum ordinarium; labor sane ingens, sed quaestus animarum permagnus. In multis aliis carceribus, ut in Huesca, La Guardia, Madrid, Toledo, Uclés, Murcia, Sevilla, Granada, Azpeitia, etc., Nostri laborem apostolicum exercent, praesertim apud capite damnatos, et tempore quadragesimali, occasione praecepti paschalis implendi. P. Iosephus Ma. Arnau (Arag.) vocatus est a Directione Generali carcerum ut conferentias religiosas traderet reclusis. Matriti, e 1.800 qui illum audierunt, 1.300 ad pedes confessorum accesserunt. Communio generalis magno splendore celebrata est. Similes triumphos alibi reportavit.

Aragoniae. — Congressui Scientifico Nationali, habito Caesaraugustae (Zaragoza) diebus 15-21 mensis decembris, interfuerunt

fere 30 e Nostris ex omnibus nostris Facultatibus et Collegiis studiorum superiorum, atque ex Speculis Iberica et Granatensi. Protulerunt 23 dissertationes: 3 astronomicas, 4 philosophicas, 9 theologicas, alias patristicas, scientiarum naturalium, etc. P. Iosephus Madoz (Cast.) nominatus est vicepraeses sectionis theologicae. — Die prima mensis ianuarii commissum est denuo Nostris a Gubernio leprocomium *Fontilles*, a P. Carolo Ferrís conditum et a Republica nobis ablatum. — Missioni generali, quam in tota urbe Barcinonensi Excmus. Episcopus mensibus februarii, martii et aprilis dandam ordinaverat, 68 Patres nostri operam suam contulerunt, quorum non pauci duos et tres cursus concionum habuerunt. — Intra Institutum Hispanum *Francisco Suárez* pro investigationibus scientificis, recens constituta est Sectio Mariologica, ad cuius praefecturam designatus est P. Iosephus M. Bover, (Arag.). Idem Pater nominatus est Consultor Commissionis Pontificiae pro Studiis Biblicis.

Congressus Nationalis Exercitiorum Spiritualium. (5-11 maii). Praecipuum caput atque consilium huius Congressus celebrandi fuerunt PP. Provinciales Hispaniae. *Opus Exercitiorum Paroecialium* libenter eius exsecutionem et propagationem suscepit ac fovit. Felicissimus successus labores coronavit. Plus quam 2.000 congressistae inscripti; 34 dioeceses suos delegatos miserunt; numerus eorum qui interfuerunt actibus Congressus, tam ordinariis quam extraordinariis, ultra quam sperari poterat; theatri, aulae maximae urbis non potuerunt recipere tantam multitudinem ingredi cupientem Dignitate excelluerunt: e clero, Excmus. Nuntius Apostolicus Hispaniae, Emmus. Card. Hispalensis, Eppi. A. A. Barcinonensis, Dertusensis, Calagurritanus. E saecularibus: Excmus. Minister Iustitiae, Dux Generalis Catalauniae, Gubernator urbis Barcinonensis. Hi praeclaras orationes de Exercitiis Spiritualibus S. Ignatii habuerunt. Telegrammata accepta a S. Pontifice, a Generalissimo Franco, ab A. R. P. Generali, ab Eppis. pluribus, a Directoribus Actionis Catholicae, publice lecta sunt et plausibus auditorum excepta. Scopus Congressus duplex: efformare Directores Exercitiorum inter sacerdotes et Religiosos et accendere animos virorum saecularium ad amplectendam et propagandam praxim Exercitiorum pleno secessu. Conclusiones practicae redactae, approbatae sunt ab Episcopis et membris Congressus. Optima sane ratio celebrandi nostrum IV Centenarium!

Baetica. — Granatae, Cursui Superiori Religionis, cuius scholas habent Professores nostrae Facultatis Theologicae, hoc anno interfuerunt 150 alumni, quorum 19 Professores Universitatis civilis, 70 alii saeculares titulo academico insigniti, 40 scholares universitarii.

— Ab anno 1938 Collegium Maximum Provinciae Baeticae, nunc Granatae restabilitum, edit semel in anno fasciculum articulorum de rebus theologicis, sub nomine generali *Archivio Teológico Granadino* (A. T. G.). Scopum sibi praefixit illustrare vel maxime theologiam sic dictam posttridentinam (1500-1800), de qua in bibliothecis hispanis magnus acervus librorum et manuscriptorum asservatur. Publicatio excepta est magno honore et plausu, nec defuerunt moderantibus litterae gratulatoriae tam ex ipsa Hispania quam ex aliis nationibus exteris. Tertium volumen, respondens anno 1940, constat 10 articulis, qui per 256 paginis evolvuntur. Totum agit de Card. Francisco de Toledo, magistro philosophiae, theologiae, sacrae Scripturae, etc.

Aureus iubilaeus vitae religiosae 8 missionariorum. — In Collegio Maximo Cotocollaensi Viceprovinciae Aequatorianae, quod est prope urbem Quitensem, domesticis honoribus et fraternis gaudiis cumulati sunt octo Patres, quinquagesimum annum Societatis celebrantes; quorum duo erant Aequatoriani, sex reliqui exalumni Scholarum Apostolicarum Galliae et Belgii, qui, Missionis ad flumen Napo cupidi, ad Rempublicam Aequatorianam 50 abhinc annis transierant.[1] R. P. Viceprovincialis hac fausta opportunitate usus est ut veteranis missionariis, tam bene de Viceprovincia meritis, domestica celebratione obsequeretur. Eos igitur ad Domum Probationis Cotocollaensem convocavit. Veterani commoveri nonnihil visi sunt, cum, vestibulum ingressi, circumspiciunt coadunatam communitatem Patrum, Iuniorum, Noviciorum, necnon apostolicorum, qui tanta humanitate eos excipiunt, arrident, gratulantur. Ad sollemniorem ludum litterarium, qui postero die in eorum honorem celebratus est, fere 100 e Nostris convenere. Missas facio oratiunculas, carmina, cantus musicos. Sed RR. DD. Pater Iosephus Felix Heredia, nunc Episcopus Guayaquilensis, olim Administrator Apostolicus Missionis Manabi-Esmeraldas, semper autem missionarius et mente et animo et opere, tam pulchram habuit oratiunculam gratulatoriam ut multorum animi ad lacrimas usque commoverentur. Festum ipsum, ut intentum et praevisum est, attulit Nostris cum fervoris augmento ardentius desiderium sese Missionibus mancipandi, amicis laetitiam revisendi et gratulandi antiquos magistros et directores spirituales, ipsis autem Patribus iubilantibus illud intimum gaudium quod optimus quisque missionarius Societatis

---

[1] Hi erant: PP. Michael Martínez et Vincentus Puente, aequatoriani. P. Eduardus Kaesen, germanus, e Schola Apostolica Ambianensi; P. Petrus Carrère, gallus e S. A. Burdigalensi; P. Petrus I. Perrier, sabaudus, P. Aloisius Mille, gallus, P. Iulius Pierregrosse, gallus: hi tres ex antiqua S. A. Avenionensi ad Montciel translata. P. Alfonsus Laenen, belga, ex S. A. Turnholtana.

sentit, cum, propria iuventute declinante et conversis ad occasum oculis, videt carissimam sibi Matrem Societatem ornatam novis ac validis filiis qui sibi succedant in animis salvandis et gloria Dei procuranda et amplificanda.

Castellana. — In Collegio Maximo Oniensi edi coepit nova series Analectorum sub titulo *Estudios Onienses*. Eius scopus est monographias scientificas professorum (100-200 pagellis) typis mandare, duplici sectione philosophica et theologica. Volumen primum *Excerpta Vincentii Lirinensis*, iuxta Codicem 151 de Ripoll, paratum a P. Iosepho Madoz, directore Analectorum, magno plausu a viris in Patrologia eruditis acceptum est. Versatur sub prelo secundum volumen *Epistolarium S. Braulii*, ab eodem auctore concinnatum. P. Richardus García Villoslada edidit nuper librum: *Manual de Historia de la Compañía*, qui constituit volumen primum sectionis historicae Bibliothecae Oniensis. Alia opera sub prelo vel in praeparatione habentur quae vitam normalem Analectis promittunt. In consilio est unum vel duo volumina ut minimum singulis annis edere.

Restaurata est Pampilone Confraternitas S. F. Xaverii, quae ortum habuerat anno 1723. Consilium initum in Congregatione Mariana, libenter susceptum et approbatum est ab Exc.mo Episcopo Pampilonensi, e Familia Salesiana, Societatis nostrae amicissimo, et S. F. Xaverii quam qui maxime amantissimo. Ipse manu propria scripsit litteras pastorales, legendas in omnibus templis dioeceseos, quibus iniungebatur collecta facienda *pro Javier*. Nunc primum adlaboratur in componendis et ornandis viciniis Castelli, quae hucusque incultiores iacebant. Domus construitur amplior, hospitibus et peregrinis digne recipiendis. Peregrinationes fidelium iamnunc frequentiores et numerosiores accurrunt. Excelluit inter omnes illa Iuventutis Actionis Catholicae. 250 iuvenes iter Pampilona-Xaverium (fere 60 km.) pedites sub nocte peregerunt, cum rosarii recitatione canticos religiosos intermiscendo. Hora 8ª matutina sequentis diei Basilicam Xaverianam ingressi, Missam audierunt et sacra Sinaxi refecti sunt. Illo die in Castello Xaveriano facile 8.000 peregrini, duce Exc.mo Episcopo, convenerunt.

Loyolaea Hebdomada Exercitiorum Spiritualium, (15-23 iulii). Scopus huius hebdomadae fuit studium altius libri Exercitiorum et eiusdem adaptationes ad hodiernam condicionem societatis Hispanae. Interfuerunt 120 Patres e 5 Provinciis Hispaniae, ducibus ipsis Provincialibus. Cunctis congressistis fatentibus, fructus laborum fuit amplissimus. In lucem edetur *Memoria*, complectens praecipuos labores Hebdomadae. — Die 25 iulii, 205 alumni, sodales Congregationum Marianarum, ex Collegiis nostris totius Hispaniae selecti, Loyolam convenerunt una simul operam daturi peculiarem et pie-

tati et studio Congregationum, necnon et defessarum virium reparationi. Omnes domos redierunt perfuso animo suavi et intima laetitia spirituali. — Sacrae ordinationes, quae aliis annis ut plurimum habebantur in Collegio Maximo Oniensi, hoc anno, IV Centenarii gratia, celebratae sunt Loyolae. Eas inter magnum splendorem et frequentiam populi susceperunt 32 theologi nostri, pertinentes ad Provincias Castellanam, Baeticam, Legionensem, Toletanam. Primam Missam celebrarunt in Basilica et in sacellis Domus Sancti Parentis. Summus Pontifex talem celebrationem honestare dignatus est speciali Benedictione quam misit omnibus Neo-sacerdotibus, et eorum familiis, necnon omnibus Primam Missam audientibus. — Festa celebrata Loyolae die 1ª augusti maximo splendore decorata sunt. Hoc nostro Centenario, Deputatio Provinciae Guipuzcoae voluerat offerre Societati obsequium Nationale. Supremus Dux Franco delegavit qui sese repraesentaret Ducem Iosephum López Pinto, Praefectum sextae regionis militaris ad quam municipium Azpeitianum pertinet. Adfuerunt in primis Excmus. Nuntius Sanctae Sedis in Hispania, plures Episcopi, Deputationes Provinciarum Guipuzcoae, Alavae, Vizcayae, Navarrae; repraesentationes omnium fere Provinciarum Hispaniae. Missam Pontificalem celebravit Excmus. Nuntius; post quam R. P. Provincialis Castellae, qui gerebat repraesentationem A. R. P. Generalis, e suggestu gratias egit amplissimas iis qui in obsequio tam spontaneo deferendo Societati participes esse voluerunt. Sacrae ordinationes et festorum illustriores manifestationes pelliculis cinematographicis receptae et expressae sunt.

Recordatio Fratris Coadiutoris Francisci Gárate, mortui anno 1929 (cf. *Memorabilia*, 1930, pag. 700), quae apud eos a quibus cognitus est adhuc iucundissima perseverat, rursus confirmata est sollemniore quadam celebratione. In vestibulo Universitatis Deustensis, cuius ianitor per 41 continuos annos ille fuerat, humili Fratri dedicata est imago marmorea cum inscriptione commemorativa. Favores caelestes qui per eum impetrati feruntur non pauci sunt. Die 3º martii a S. Rituum Congregatione latum est decretum aperitionis processus dioecesani, et Ponens eius Causae designatus est Emmus. Card. Rossi. Historia vitae huius carissimi Fratris iampridem a variis auctoribus descripta sermone hispano, nuper redacta est eleganter lingua italica a P. Caelestino Testore (Taur.).

Noviciatus Viceprovinciae Venezolanae tandem aptam sedem invenit prope urbem Caracensem, loco saluberrimo, 12 km. distanti a parte centrali urbis, cum qua coniungitur optimis communicationis viis. Praedium ipsum constat 75.000 m^2. Iuxta antiquam villam nova domus amplior constructa est, cui nomen "Villa Pignatelli".

Plura cubicula instructa ad recipiendos eos qui velint illuc secedere Exercitia Spiritualia peracturi.

Legionensis. — In incendio quod magnam partem urbis Santanderensis voravit, etiam nostra Residentia penitus igne consumpta est. Pars quoque templi, aedibus Residentiae coniuncti, scilicet: tectum chorus, organum, etc. flammis adusta sunt. Nostri, Deo gratias, omnes incolumes servati; post paucos dies vitam communem agere perrexerunt in conducta domo. Nunc eleemosynae colliguntur ad reconstruendam residentiam. — Seminarium Pontificium Comillense subiit etiam effectus turbinis aerei totam illam regionem irruentis; tecta, plures parietes mediae, fenestrae, portae e propriis locis avulsa et longius iacta sunt. Tam Nostri quam alumni illaesi menserunt. Amici Universitatis simul cum significatione doloris eleemosynas ad reparanda damna generose miserunt. — Bibliotheca Universitatis accepit a Gubernio subsidium 20.000 pts. ad novos libros coemendos. Uno anno ditata est 1.700 libris novis, quos inter collectiones aliquae valde aestimabiles. — Ad commemorandum centenarium profectionis ad Indias Orientales S. Francisci Xaverii, Universitas Vallisoletana ordinavit cursum conferentiarum de rebus Societatis habendarum in aula sua maxima. Concursus hominum magnus et selectus; orationes ipsae pulcherrimae ut a Professoribus Universitatis. Ephemerides locales et Expositio Missionaria a frequenti populo visitata, multum splendoris et fructus celebrationi contulerunt. — P. Valentinus Incio promovendam et propagandam suscepit devotionem erga Venerabilem Patrem Bernardum F. de Hoyos, propulsorem maximum in Hispania devotionis et cultus erga SS. Cor Iesu. Editionem plus quam milia milium imaginum Servi Dei ipse ordinavit et large distribuendam curavit maxime inter cives Vallisoletanos.

Hoc anno initium datum est in Collegio Centumfocensi Noviciatui Viceprovinciae Cubanae. Plures Novicii, Scholastici et Coadiutores, e Noviciatu Provinciae Legionensis missi sunt, quo melius a principio Noviciatus ipse constitueretur.

Lusitana. — Die 29 aprilis Minister Coloniarum decretum subsignavit quo Societas in Lusitania tamquam *Corporatio Missionaria agnoscitur*. Secundum *Statuto Missionario*, die 5 aprilis editum, Gubernium praestabit auxilium tam Missionibus quam domibus formationis missionariorum. — Die 11 iulii, duce R. P. Iosepho B. Gonçalves, Superiore Missionis nominato, navem Olysipone conscenderunt 3 Patres et 3 FF. Coadiutores versus Africam Orientalem Lusitanam, ut antiquam nostram Missionem Zambesianam sanguine Venerabilis Patris Consalvi de Silveira irrigatam, denuo

restaurarent. Post 40 dies itineris maritimi, sospites appulerunt ad portum urbis Lourenço Marques. Ab huius civitatis Archiepiscopo recepti sunt animo vere paterno. Auctoritates item civiles Coloniae sibi benevolentia plenas experti sunt. Tandem in loco propriae Missionis iam constituti, fraternam consuetudinem inierunt cum Patribus Albis Missionis de Nyassaland, quae est nostrae Missioni Zambesianae finitima.

In primo Congressu Nationali Scientiarum Naturalium, habito Olysipone (6-11 iunii), participes fuerunt Patres Alfonsus Luisier et Eugenius Jalhay. Uterque nominati sunt Vicepraesides honorarii eiusdem. Ille duas habuit publice lectiones, hic unam. In sessione inaugurali, quam ipse Reipublicae Praeses sua praesentia honestavit, Professor Sousa de Câmara, Praeses Congressus, ut exemplar consociabilitatis inter religionem et scientiam nominavit "egregium periodicum *Broteria*, scriptum a benemerentissima Societate Iesu". Nomen etiam Patris Tavares in eodem sermone inaugurali bis cum honore memoratum est.

Toletana. — *Hebdomada Missionalis Matritensis* (14-18 aprilis). Scopus fuit huius hebdomadae, occasione IV Centenarii Societatis, notam reddere matritensibus eius activitatem missionalem. Illam ordinare et exsequi suscepit sectio missionalis Congregationis Marianae S. Aloisii Matritensis. Tria praecipue complectebatur: 1) divulgationem generalem rerum missionalium; 2) cursum specialem formationis missionalis pro iuvenibus, maxime e Congregationibus et Collegiis nostris; 3) Expositionem generalem Missionum Societatis, praesertim commissarum Provinciis Hispanis. Intensa et sollers propagatio per Radio, conferentias, periodica, folia volantia et tabellas muris offixas, continenter per aliquot hebdomadas exercita, felicem exitum Hebdomadae praeludebat et confirmabat. Gubernium ipsum efficacem cooperationem tulit commodando pro Expositione Palatium Musaeorum et Bibliothecarum, et subsidium 120.000 pts. concedendo. Haec gaudebat alto patrocinio Ministeriorum Negotiorum Exterorum, Publici Aerarii et Iustitiae. Eius inaugurationi adfuerunt praedictorum Ministeriorum Praefecti. (Minister Iustitiae tulit etiam repraesentationem Generalissimi Franco), Excmus. Nuntius, Episcopus Matritensis-Complutensis, aliique plurimi e primaria societate. In cursu missionali, iuvenes ex 30 centris convenientes, propriae formationi alacrem et actuosam operam sub directione Nostrorum contulerunt. Organizatio nationalis JEM (Juventud Española Misionera) consolidata est, et ad meliora quotidie amplectenda impensius evecta. Divulgatio rerum missionalium effecta est vel maxime per conferentias et repraesentationes scaenicas in variis theatris et aulis grandioribus urbis;

concursus maximus et selectus. In sessione ultima sollemniore, animos auditorum suspensos tenuit rapuitque amplitudo dicendi Excmi. Ministri Iustitiae, Stephani Bilbao, qui se, ut catholicum, hispanum, amicum Societatis (est ille exalumnus nostrae Universitatis Deustensi) beatum dixit quod posset tam bene de Patria et Missionibus meritam Societatem publice laudare; beatiorem, quod ei contigit decreta praeparare et subscribere quibus singulae nostrae domus, olim a republica ablatae, Societati redderentur.

Matriti mense ianuario iterum post Revolutionem incepta est editio ephemeridis Congregationum Marianarum, cui titulus *La Estrella del Mar.* Editur etiam a Directione Confoederationis Nationalis CC. MM. Hispaniae aliud parvum periodicum *Boletín de Directores*, destinatum Directoribus uniuscuiusque Congregationis.

Honor posthumus concessus Patri Iosepho A. Pérez del Pulgar. — Die 25 novembris 1940 Excmus. Dux Franco decretum subscripsit quo illum nominat Equitem Ordinis Alfonsi X, Sapientis, ob insignia merita scientifica erga Patriam. — Fr. Coadiutor Sanctus García, qui geographiam et historiam patriam docebat in Collegio Limensi, benemeritus de Republica Peruviana ob sua opera edita, etiamsi non est peruvianus (quod in illa natione requiritur ad res patrias docendas) nominatus est decreto dato a Ministerio Publicae Instructionis Professor historiae et geographiae Peruvianae. Ille etiam ab aliquot annis est membrum Societatis Geographicae Peruvianae.

ASSISTENTIA ANGLIAE

Angliae. — R. P. Adelardus Dugré, Assistens Angliae, translata alio Communitate Iuniorum et Noviciorum, ipse in Domo Noviciatus remansit. P. Eduardus Goulet (Can. Inf.), e Secretariatu Missionum, fungitur munere Patris Spiritualis in quodam Collegio constituto pro pueris Belgis instituendis. F. Iosephus Auger (Can. Inf.) transiit in Canadam, ubi debilitatas vires recuperare pergit. F. Ernestus Connolly (Can. Inf.) remanet in Collegio Stonyhurstensi.— Circiter 40 vel 50 e Nostris sunt capellani militum; valde aestimantur et laudantur. Plures Patres, aut iam seniores aut debiliore valetudine utentes, sese obtulerunt ad munia iuvenum in Collegiis obeunda. Scholastici plures vocati sunt ab Auctoritatibus ad servitia praestanda in agris, etc. Qui tonsuram receperunt liberi sunt ab his laboribus praestandis. — Ob crescentem numerum capellanorum militum ex Nostris, hoc anno non erit Tertia Probatio. Hac de causa Iunioratus translatus est ad Tremeirchion (St. Beuno's)

ubi iam a duobus annis est Noviciatus. Hoc anno ingressi sunt 18 Novicii.

Australiae. — Ut iam antea decisum erat, Viceprovincia Australiae inchoavit hoc anno pro Scholasticis suis proprios cursus theologiae in Pymblensi Collegio NN. S. Petri Canisii. Ineunte anno aderant 21 Theologi.

Provinciae Belgicae. — Uno alterove excepto, omnes Nostri qui in bello capti erant ad domos nostras redierunt. — Eegenhovense Collegium philosophicum, ne intemperie coeli totum intereat, modo provisorio restauratur. Philosophi tamen alibi hospitantur: omnes 1i. anni in Collegio NN. Wulpilionensi (Belg. Mer.), annorum 2i. et 3i. in Collegio alumnorum Turnholtano (Belg. Sept.). — Mense septembri Societatem ingressi sunt pro Prov. Belg. Mer. 28 Novicii Scholastici, pro Sept. 42. — Ob occupationem partialem Domus Prob. Trunciniensis PP. Tertiani e Prov. Belg. Mer. in Dom. Prob. Arlunensem transierunt, ubi P. Georgius Dirks Instructor nominatus est, dum Truncinii in munere Instructoris P[i]. Van de Vorst successit P. Iulius Heyrman. — Collegia alumnorum omnia modo consueto procedunt, nisi quod praelectiones, propter debilitatem puerorum quibus plus somni necessarium est, serius incipiunt, atque, deficiente carbone pro calefactione aularum, feriae hiemales multo longiores erunt. — Opera in auxilium animarum ubique magno successu pergunt; in Domnibus tamen Exercitiorum, ob difficultates victus comparandi, vel ob earum a militibus occupationem, opus Exercitiorum clausorum fere totum suspensum est. — Cum propter easdem difficultates victus, vix fieri posset ut sacerdotes ad Exercitia agenda in unum locum (puta, ut solet, quoddam Seminarium) convenirent, hoc anno Exercitia clero data sunt parvis coetibus variis in locis, (invitantibus Decanis et Superioribus Collegiorum). Itaque in feriis aestivis habebantur in sola Prov. Belg. Merid. 55 cursus diversi, magno cum fructu. — Foedera SSmi. Cordis magno exitu ubique bonum operantur. Tempore quadragesimali curaverunt ut in omnibus templis paroecialibus cotidie unum saltem membrum uniuscuiusque familiae Missae assisteret illam offerendo pro intentionibus Summi Pontificis. Adventante festo SSmi. Cordis propagaverunt preces novendiales ad pacem impetrandam. Singulis diebus celebrabantur Missae pro pace ex eleemosynis a fidelibus in capsa ad hoc collatis. Aliquot centena milia fidelium Sacram Communionem receperunt; concursus frequentior fuit ipso die SS. Cordis. — Etiam hoc tempore belli peregrinationes ad specum B. M. Virginis in Oostakker (prope Gent) frequentissimae ha-

bentur, speciatim mense maio. Singulis diebus peregrini numerabantur fere 20.000.

Canadae Inf. — Petente Excmo. Archiep.po Marianopolitano, Nostri habuerunt cursum Iuris Canonici ad Superiorissas Communitatum Religiosarum. Plus quam 250 interfuerunt. Excmus. Delegatus Apostolicus duabus primis lectionibus praesidebat. Summa rerum tractatarum haec fuit: 1) de admissione et noviciatu, 2) de dimissione religiosarum, 3) de confessionibus, 4) de paupertate, 5) de administratione temporali, 6) de relationibus inter Superiorissas et subditas, 7) de sororibus senioribus, infirmis, studentibus, 8) de uniformitate disciplinae desiderata in dioecesi. Ultima haec lectio habita est a Vicario Generali dioeceseos. — Secessus *orientationis* in scholis publicis dati sunt alumnis cursuum superiorum (pueris et puellis), eis concessa facultate invisendi et colloquendi cum Patre Directore. Durant tres dies. P. Wilfridus Girouard, horum secessuum auctor et praecipuus fautor, dedit iam 22 cursus, distinctis locis. Hac ratione 1.000 alumni exercitati sunt. — A mense ianuario huius anni Patres addicti operi: *L'Actione populaire* novum periodicum lingua gallica in lucem edunt, sub titulo *Relations,* valde simile periodico edito a nostris Patribus Provinciarum Assistentiae Americae, cui titulus est *America.* Habuit iam ab initio circa 3.000 subnotatorum, qui numerus crescit in dies.

Cursus aestivus paedogogicus. — Iamdiu in Canada quaeritur a Ministerio Educationis nova quaedam constitutio studiorum mediorum. Universitas Quebecensis *Laval* onus sibi sumpsit huic rei studendi et eam praeparandi. Ut ab aliis Institutis, ita etiam a Societate exquisierat consilia; data libenter accepit et magno favore prosecuta est. Ut notum est, systema paedagogicum in ea Canadae parte quae lingua gallica utitur, sequebatur fere antiquas traditiones humanisticas; nunc autem paulatim aptare intendunt programmata et methodos novis rerum temporumque condicionibus. Quo melius nostri Scholastici, novi Collegiorum Magistri, cognoscerent hanc evolutionem systematis educationis, cui antiqua principia nostrae Rationis Studiorum adaptanda sunt, P. Provincialis eos ad congressum convocavit. Per 15 dies coadunati sunt in Collegio Marianopolitano S. Ioannis de Brébeuf. Tres lectiones singulis diebus habitae; de quaestionibus paedogogicis ultro citroque disceptatum. Cursus valde proficuus fuit, fatentibus omnibus, Magistris, non solum novis sed etiam antiquis.

Canadae Sup. — In Statione *Garden River* ad ripam Lacus Superioris nostri Missionarii habuerunt primum Congressum Catholicum indigenarum catholicorum Canadensium. Omnes tribus linguae

Ojibwé suos delegatos miserunt. Adfuerunt actibus sollemnibus Excmus. Episcopus dioecesanus et P. Provincialis. Congressus, quem potius diceres secessum spiritualem, tres integros dies tenuit; occasio arrepta est duces tribuum inter sese et cum Missionariis christiana caritate et consuetudine magis coniungendi. Eo durante celebratum est tertium centenarium ab adventu Sancti Isaaci Iogues et Patris Raimbault in regionem Lacus Superioris. — Peregrinationes fidelium ad Sanctuarium SS. MM. Canadensium ad Lacum Huron frequentiores hac aestate fuerunt quam annis superioribus. Societas quaedam archaeologica, favente Universitate Torontina, excavationibus initium dedit prope Sanctuarium SS. Martyrum, in loco quem tenuerat praesidium antiquum Sanctae Mariae, et in quo nostri Martyres habebant domum Residentiae centralem. Aliqua minime spernenda inventa iam sunt, vg., corona B. M. V. et numisma cum sculptis imaginibus Sanctorum Ignatii et Francisci Xaverii.

Hiberniae. — Cum supremus Capellanus militaris exercitus anglici opem rogasset sacerdotum Hiberniae, plures iuvenes Patres illius Provinciae sponte se obtulerunt ad munus capellani gerendum. Qua oblatione accepta, 12 iamnunc in exercitu anglico munus exercent. — Ut notum est, plures e NN. Professoris munere funguntur in Dublinensi Universitate Nationali; hoc anno eis additus est P. Franciscus Shaw ceu Professor linquae hibernicae antiquae et mediaevalis. — Medio mense ianuario parvus congressus institutus est Dublinii in quo magno cum fructu agitatae sunt res ad Exercitia spiritualia, missiones ad populum, opera socialia, etc. pertinentes. Adfuere 60-70 Patres, inter quos etiam, sub P. Instructore H. Keane, PP. Tertiani, auditores tantum rerum disceptatarum, non vero participes.

ASSISTENTIA AMERICAE

Generalia. — Ad commemorandum nostrum IV Centenarium, die 23 mensis martii in pluribus urbibus Statuum Foederatorum celebrata est Communio generalis a 75.000 exalumnis venientibus e nostris Universitatibus, Collegiis, Scholis Altis. Durante ientaculo communi, quod ubique S. Communionem sequebatur, varii exalumni, inter quos ipse Gubernator Status Neo-Eboracensis, per *radio* verba fecerunt, quae per aera diffusa ab omnibus exalumnis ex condicto praemonitis audiebantur. Ex urbe New York, ubi 1.500 exalumni erant congregati, allocutionem habuit R. P. Zachaeus Maher, Assistens Americae, de beneficiis educationis catholicae, et palam

legit cablogramma e Roma acceptum, in quo Pater Noster omnibus carissimis exalumnis nostris gratias agebat, eosque hortabatur ut Christum semper in corde et vita servarent, simul exoptans ut aliquando omnes simul caelesti convivio assidere possent.

Californiae. — Aliqui Patres e Provincia Mexicana paroeciam inter pauperes Mexicanos, qui ad 4.000 numerantur, in urbe San Diego susceperunt. Ritum sollemnem celebrando, quo illam Nostris committebat, Excmus. DD. Carolus F. Buddy, olim alumnus nostri antiqui Collegii Sanctae Mariae in Kansas, affirmavit coram 20 sacerdotibus saecularibus et populo magnum sibi gaudium esse Societatem sibi tam caram in sua dioecesi laborare.

Maryl.-N. E. — Anno scholastico 1940-41 Universitas Fordhamensis annum a fundatione centesimum diversis congressibus litterariis, scientificis, philosophicis, etc. commemoravit. Hoc centenarium occasioni fuit Summo Pontifici scribendi eius Rectori epistolam autographam gratulatoriam. "Intimo affectu, ait, Me animo coniungo cum Provincia Marylandiae Societatis Iesu, et cum moderatoribus, professoribus, alumnis, amicis, celebrantibus primum centenarium tam magnifici Instituti. Atque hoc animi gaudium multiplicatur ac crescit, dum cogito Me etiam pertinere ad catervam vestrorum alumnorum, et dum recolo visitationem Universitatis aliquot abhinc annis a Nobis institutam, qua, videlicet, contemplati sumus vestros labores pro Deo et Patria continenter exantlatos. Pro Nostro igitur officio Vicarii Christi in terra, et pro commisso Nobis munere custodiendi pretiosum legatum ab Eo hominibus relictum, magis etiam vobiscum gaudemus eo quod, longo spatio 100 annorum, vestra Universitas docuit semper ac propagavit principia christianae educationis quae sibi ortum cum vita dederunt, sine quibus omnis educatio sterilis est, vel potius, periculosa, minans tam singulos quam universam hominum societatem. . .". Haec Summi Pontificis epistola lecta est in convivio exalumnorum. Sollemnitatibus academicis ultimi diei interfuerunt praeter Delegatum Apostolicum 15 membra Hierarchiae Ecclesiasticae, Gubernator Status Neo-Eboracensis et alii plurimi, plus quam 500, dignitate vel auctoritate praecellentes. Praeses Statuum Foederatorum miserat qui se repraesentaret Vicepraesidem Reipublicae Henricum Wallace, qui habuit orationem congratulatoriam.

Numerum eorum describimus, qui ex huius Provinciae Universitatibus, Collegiis et Scholis Mediis, an. 1930-an. 1939, vitam religiosam vel sacerdotalem amplexi sunt.

	Soc. Iesu	Cler. Saec.	Al. Ord.
1930	45	35	13
1931	48	39	14
1932	56	36	14
1933	53	48	21
1934	52	34	12
1935	41	21	11
1936	38	27	8
1937	45	14	9
1938	60	21	15
1939	52	21	10

Inter hos non enumerantur novicii in Insulis Phil., qui hoc anno, 1941, 18 Soc. ingressi sunt, quorum maior pars ex nostris scholis.

Ex nostrarum scholarum ex-alumnis 1247 inter sacerdotes saeculares hoc anno 1939 operam navantes inveniuntur.

Missouriana. — *Foedus Radiophonicum SS.mi Cordis* (The Radio League of the Sacred Heart). — Abhinc 4 fere annos P. Eugenius Murphy (Miss.) incepit ope stationis radiophonicae W E W Universitatis nostrae S. Ludovici, singulis diebus hora 8ª matutina, breves emissiones in honorem SS.mi Cordis Iesu diffundere. Earum programma continet, praeter aliquas preces et oblationem totius diei SS.mo Cordi, parvam exhortationem spiritualem, atque concluditur apto aliquo hymno. Tota emissio quartam horae partem non excedit. Apud catholicos et non-catholicos fructus ingens capitur, praesertim inter operarios fossores illius regionis, inter infirmos degentes in xenodochiis publicis, necnon inter pauperes Nigritas quorum 85% dicuntur machinas radiophonicas non obstante egestate possidere. Numerus eorum qui cotidie emissionem audiunt usque ad 200.000 aestimatur. Multi operarii preces et exhortationem audiunt dum curru automobili ad locum laboris cotidiani vehuntur. Fructus harum emissionum stabiliori modo servantur ope variorum opusculorum, quae sub titulo generico *Cor ad Cor loquitur* (Heart speaks to Heart) pententibus auditoribus longe lateque sparguntur.

Cura aliquot Patrum Professorum Facultatis Theologicae Collegii Nostrorum S. Mariae, medio mense ianuario anni 1942 in lucem prodibit, Deo volente, primus fasciculus novi periodici bimestralis *The Review for Religious*. Aget de quaestionibus theologicis, asceticis, liturgicis, etc. Destinatur omnibus Religiosis, viris et feminis. Singuli fasciculi constabunt 72 paginis.

ASSISTENTIA SLAVICA

Bohemiae. — Aedes Collegii Pragensis, ubi Seminarium Minus Archidioecesanum simul cum Gymnasio sedem habuit, a magistratibus germanicis (Policia Status) occupatae sunt. Collegium, interventu Em.mi Cardinalis, translatum est in quamdam partem aedium *Instituti SS.mi Cordis* in qua habitant Nostri cum alumnis; scholae autem habentur in vicino Gymnasio Status. — Item in Velehrad tota Domus Exercitiorum et maior pars Collegii destinata est pueris e Germania transportatis, ideoque nostrae scholae restringi debuere. Proximo anno scholastico (1941-1942) prima classis huius Gymnasii, uti etiam nostri Gymnasii Pragensis, supprimenda est. — Antiqua nostra ecclesia S. Ignatii, Residentiae Pragensis, cura Patris Aloisii Kolaček, eiusdem Superioris, secundum pristinum stylum proprium restaurari potuit ex subventione Protectoratus Bohemici et largis eleemosynis fidelium, qui illud templum libenter frequentant. — Duo periodica nostra *Dorost* pro iuvenibus, et *Posol*, seu *Nuntius SS. Cordis Iesu* suppressa sunt; tres Patres, scilicet, P. Aloisius Kolaček, Superior Residentiae Pragensis, P. Adolphus Kajpar, Redactor Nuntii SS. Cordis, P. Franciscus Nèmec, Professor Philosophiae, in vincula coniecti sunt et postea in campo concentrationis collocati. — Hoc anno Societatem ingressi sunt 9 Novicii Scholastici et 2 Novicii Coadiutores.

Croatiae (olim Iugoslaviae). — Cum omnes Provinciae Iugoslaviae Domus, praeter quatuor, in hodierno Statu Croatiae sitae sint, ipsa nunc Provincia Croatiae nuncupatur. — Fere omnes socii et Domus huius Provinciae ex actionibus bellicis incolumes evasere. Templum Beogradense peculiari protectione a destructione salvum fuit, nam globus incendiarius ante ipsum altare SS. Cordis proiectus nullam pene iacturam fecit; sacristia sola destructa est; ea vero eleemosynis fidelium iam est restaurata. — Domus Mariborensis, in meridionali Styriae parte sita, ab auctoritate germanica initio mensis maii suppressa est, socii vero, (3 PP. et unus F. Coadiutor) in vincula coniecti, postea liberati sunt; ast unus eorum, Pater Aloisius Zužek, senex 77 annorum, paulo post in nosocomio vita functus est. — Nostrum sanctuarium, SS.mo Cordi Iesu dicatum in urbe Zagrabiensi, cohonestatum est titulo privilegiisque *Basilicae Minoris*. "Edocemur enim, dicitur in Brevi Apostolico, non modo ex urbe atque archidioecesi Zagrabiensi, sed e dissitis quoque locis ad idem templum, *Croaticum nationale Sanctuarium Cordis Iesu* iure meritoque vocatum, fideles pie devoteque confluere, illud-

que subsidiis suis generose adiuvare, ita ut ibi decem sacerdotes e Societate officiis religiosis christicolarumque necessitatibus spiritualibus inservire queant, atque etiam sacri aedificii conservationi ornamentoque satius provideri possit".

Provinciae Poloniae. — Novicii utriusque Provinciae in una domo Pol. Min. coadunati sunt; numerantur omnes simul 23 (17 Schol. et 6 Coad.). — A potestate occupante vetitum est novos candidatos in Instituta Religiosa admittere, ideoque Noviciatus proximo anno scholastico numero valde exiguus erit, nam fere constabit secundo anno tantum (11). Etiam studia Scholasticorum in his adiunctis magnis difficultatibus obnoxia sunt, sed Superiores, divina Providentia fisi, omnibus necessitatibus providere curant.

Nuntii de Nostris sub occupatione Germanorum. — In parte Poloniae simpliciter annexa Germaniae, nulla immutatio notanda est ab editione ultimi fasciculi *Memorabilium.* E domibus positis in sic dicto *Generalgouvernement pars* Domus Scriptorum Varsaviensis ab auctoritate germanica occupata est. Item Cracoviae, totum Collegium Maximum pro nosocomio destinatum est et mense iunio currentis anni occupatum. Omnes Nostri, exceptis duobus Patribus et tribus FF. CC., qui in loco super sacristiam templi SS. Cordis sito habitant, sunt dispersi, et partim in Residentia Sanctae Barbarae, partim in aliis domibus urbis collocati. Bibliotheca et Depositum Librorum huius Domus in subterraneo sacrarii seposita sunt, machinae vero typographiae et libris compingendis alio asportatae. — In Collegio Staraviensi Nostri in magnis angustiis loci et victus quotidiani versabantur; nam, et maior pars aedium exercitui cedenda fuit, et tota Communitas in hac Domo et in villa Starviesiensi plus quam 130 socios numerabat. — Ministeria sacra in templis huius regionis valde restricta sunt, nam missiones et Exercitia Spiritualia in publico dari vetantur, et omnis activitas Associationum religiosarum est suppressa. Cum defectus annonae omnes vel maxime opprimeret, Nostri sublevati sunt victualibus acceptis praesertim ex Slovakia, industria ac caritate Patris Rudolphi Mikuš, huius Viceprovinciae Praepositi, necnon ex Statibus Unitis, opera ac diligentia R. P. Zachaei Maher, Assistentis Americae.

Maior pars Nostrarum qui in carceribus vel in campus concetrationis hucusque detinentur (numerus eorum pene 80 attingit), mense decembri anni 1940 ex Oświęcim et Oranienburg in campum concentrationis apud Dachau translati sunt. Iuxta accepta, inde ab initio anni 1941 in hoc campo mortui sunt 4 PP., 1 Schol., 1 Fr. Coad. — Sors Nostrorum e Residentia Grudzidzensi et Collegio Gdyniensi, qui mense octobri 1939 in carcerem coniecti sunt, plane nobis ignota est.

Nuntii de Nostris sub occupatione Russorum. — Labores apostolici et ministeria sacra in nostris templis bene et tranquille, uti nobis relatum est, generatim evolvebantur. Fideles, quibus praesentia Patrum et eorum zelus apostolicus exemplo ac solatio erant, libenter et efficaciter Nostros adiuvabant largis eleemosynis, ita ut possent, non solum propriae sustentationi providere, sed etiam enormia tributa quae a Russis omnibus ecclesiis imponebantur, solvere, et hoc pacto ministeria sacra continuare.[1] — Ex iis qui initio anni 1940 in Russiam deportati sunt (6 PP., 4 Schol., 5 FF. CC.), unus Pater morbo pulmonum contracto, vita functus est; alius in carcere detentus; alii in variis Russiae partibus vitam degere dicuntur. In huius anni limine duo Patres, unus Vilnae, alter Leopoli, incarcerati et postea deportati sunt: duo Scholastici ad servitium militare coacti. P. Casimirus Konopka paulo ante adventum Germanorum, a Russis, casu an consulto nescias, in horto leopolitanae Domus Exercitiorum occisus est. Invadentibus hanc regionem Germanis, fere omnes Nostri salvi evaserunt, neque ulla Domus diruta vel graviora damna passa est. Residentia SS. Apostolorum Petri et Pauli cum adiuncto templo speciali Providentia ab incendii periculo liberata: nimirum, cum adiacentia aedificia ignis devastaret, Nostri una cum amicis saecularibus per tres dies duasque noctes continuas custodiam in tecto domus et templi vigiles tenuerunt, id unum curantes, ne ignis has aedes tangeret consumeretque. Quod, Deo favente, factum est. — Collegium Chyroviense a Russis devastatum, nunc ab exercitu Slovako occupari dicitur; principio duobus Patribus et aliquibus FF. CC. licuit aliquot cubicula in eo retinere; nunc autem omnes Nostri Collegium relinquere debuerunt, praeter unum F. Coadiutorem qui degere in praedio Collegii permissus est.

De Collegiis Vilnensi et Pinscensi hucusque nulli nuntii advenere.

Romaniae. — Residentia Cernautensis, quae per aliquot menses sub occupatione Russorum fuerat, recens una cum templo SS. Cordis Viceprovinciae reddita est. P. Ladislaus Kumorovicz, eius Superior, qui per totum illud tempus magna fidelium consolatione remansit, et munere Vicarii Generalis illius regionis (Bucovinae Septentrionalis) functus est, nunc consueta ministeria sacra in ecclesia nostra continuat atque evolvit. — P. Stanislaus Skudrzyk

---

[1] Ut exemplum afferam, in templo nostrae Residentiae Leopolitanae ab octobri 1939 ad iunium 1941 fuerunt 124.000 confessiones et 175.000 communiones. Pro toto anno 1940 solvere debuerunt ratione taxae tributariae 43.796 rublos (plus 100.000 lib. ital.), pro solo primo semestri 1941, 26.616. Hac una ratione taxarum, omnis cultus externus, omnis opera sacerdotum paucis annis impossibilis omnino evasisset.

(Pol. Min.), qui Bucuresti, ut delegatus Nuntii Apostolici, Polonorum in Romenia profugorum curam gerit, mense maio visitationem exsulum perfecit, eorum animos concionibus erigendo et sacramentis confortando.

Slovakiae.— Nova domus aperta est Levočae, ubi antiqua Societas Collegium et pulchram ecclesiam habuerat. Aedes ab Exc.mo Ep.po Scepusiensi eleganter restauratae, Societati traditae sunt, in quibus Seminarium dioecesanum cum convictu et gymnasio instituta sunt. — Hoc anno, cum Viceprovincia suos theologos difficile in alias Provincias mittere posset, cursum theologicum in patria instituere coacta est. In hunc finem domum a Gubernio emit Neosolii (Banská Bystrica), quae bene adaptari poterit ita ut 45 Scholasticos capere valeat. Banská Bystrica est urbs in centro Slovakiae posita, ubi olim Nostri per 150 annos totam curam pastoralem, etiam paroecialem, exercuerunt, totamque urbem cum circumstante regione ad Ecclesiam catholicam reduxerunt. Societas habuit in ea Collegium et Tertiam Probationem. — Bratislaviae gymnasium cum convictu aedificabitur. Urbs capitalis amplissimum dedit fundum in quo aedes construi possint. — KTK - Katolicka Tlaková Kancelaria (Catholica Associatio Preli), quam Pater Polony fundavit optimos fructus edere pergit. Edit periodicum *Actio Catholica*, et curat etiam ephemeridem hebdomadariam, perapte redactam, 30.000 exemplaribus impressam. — Numerus noviciorum in Ružomberok: 20 Scholastici et 8 Coadiutores.

ASSISTENTIA AMERICAE LATINAE

Argentinensis. — In regione Boliviana ad Provinciam Argentinensem annexa, sicut in numero anteriore *Memorabilium* notabamus, Societas novo cum ardore laborare incepit. Praeter Collegium Pacense iam existens, Sucrense, ob penuriam sociorum clausum quando ad Viceprovinciam Peruvianam pertinebat, iterum est apertum. Denuo quoque fuit aperta Residentia Sanctae Crucis sita in partibus sic dictis *Sancta Cruz de la Sierra*, et, Excmo. Episcopo rogante, Societas curam suscepit Paroeciae. Specialem autem meretur mentionem Seminarium Minus Societatis, optimis quidem auspiciis inceptum in Collegio Pacensi S. Callixti. Ad inaugurationem die Pentecostes sunt missi P. Director cum 10 alumnis Seminarii Minoris Sanctafidensis (Argentina). Ipso die inaugurationis numerabantur: 4 alumni ex Collegio Pacensi et 10 ex Argentina advecti. Sub finem mensis iunii, operibus Seminarii absolutis, adi-

ciebantur 5 alumni ex Collegio Pacensi et 3 ex urbe Sanctae Crucis; sic pro festo S. Parentis Ignatii 22 numerabantur alumni. Tunc temporis erant iam 10 alii boni candidati in ipso Collegio S. Callixti et totidem in Collegio Sucrensi SS. Cordis; qui omnes, ob familiarum difficultates aliis annumerari nondum potuerunt. Ita sub primordia iam Seminarii Minoris, felix exitus desideriis et propositis Superiorum respondit, et firma adest spes fore ut hic parvus numerus in dies crescat, ita ut uberrimus deveniat fons selectarum vocationum.

Domus Exercitiorum S. Ignatii. Sic vocatur splendida domus quam Domina Carolina Pombo de Barilari construere fecit et, occasione IV Centenarii, Societati donare voluit, merendo sibi hoc novo christianae munificentiae opere, titulum insignis Societatis benefactricis. Domis non longe a nostro Collegio Maximo S. Michaëlis distat, et posita est in medio perampli et pulcherrimi campi undique arboribus consiti. Constat sacello centrali et 40 cubiculis hinc inde in duabus alis dispertitis, quarum unaquaeque duabus contignationibus gaudet; praeterea ampla est aula, etc. Domus tota instructa est integra suppellectili. Die 15 aprilis Societati proprietas est tradita, et die 20 iunii domus fuit inaugurata.

Nova Residentia in Uruquariensi Republica. Finis huius novae Residentiae et Paroeciae in oppido Young positae, et quem ipse Excmus. Episcopus Saltensis Patri Nostro exposuit, est ut Nostri vitam paroecialem instituant et ubi primum id obtentum sit, Clero saeculari Paroecia tradatur, et Nostri ad alium locum pergant idem iterum peracturi.

Excmus. DD. Fortunatus Devoto. Die 28 iunii, Bonis Auris, cursum mortalis vitae confecit. Vir vere eximius non solum dotibus intelligentiae et scientiae, sed multo magis virtute, fuit amantissimus Societatis deque ipsa benemeritus. Aliqua innuere sufficiat: in processu BB. MM. Rioplatensium indefesse adlaboravit, ita ut ipsi ex parte saltem eorum beatificatio sit tribuenda. Aedificii erectio Speculae physico-cosmicae S. Michaëlis ei debetur. Ob haec aliaque magna in Societatem merita, Superiores ipsi concesserant participationem bonorum spiritualium Provinciae. Paucis diebus ante eius mortem, Pater Generalis, vi facultatis sibi a S. Sede concessae, ei permiserat vota Societatis in articulo mortis nuncupare; sed, proh dolor! morte inopinata correptus, id peragere non potuit. Eius corpus iacet sepultum in humili coemeterio privato Collegii Maximi S. Michaëlis, prope tumulum Patris Ivonis de la Brière quocum vetrus ei fuerat amicitia et consuetudo.

Schol. Ioannes P. Mercader. Magisterium agebat in Seminario Interdioecesano Uruquariensi. Tempore vacationum Seminaristarum, in flumine S. Lucia aquis suffocatus est cum tentaret sal-

vare Seminaristam, qui pariter vitam amisit. Magnam Societas gloriam consecuta est morte huius Scholastici, et verus martyr caritatis vocatus est ab Excmo. DD. Viola, ad cuius Dioecesim pertinebat defunctus Seminarista, cum verba in exsequiis Fratris Mercader fecisset.

Bras. Centr. — Recurrente 50° anniversario, Encyclicae *Rerum Novarum* memoria publice renovata est in capitali Brasiliae urbe. Ad quam recolendam P. Robertus Saboya de Medeiros Congressum Nationalem Iuris Socialis promovit, quem deinde ipse moderatus est. Ultima sessione adfuerunt Praeses Reipublicae, Emmus. Card. Leme, plures Ministri Gubernii, etc. Nostrorum opera effectum est ut Gubernium *ex officio* hanc recordationem quinquagenariam celebraret, et magnam pulcherrimamque imaginem Leonis XIII collocaret in aula honoris Ministerii Laboris. In quem finem etiam P. Leopoldus Brentano, ope circulorum operariorum a se directorum, efficaciter collaboravit. — Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 15 iulii, in Festo BB. Ignatii de Azevedo et Sociorum Martyrum Brasiliae, libenter annuit ut Neofriburgensis Philosophatus inter Philosophicas Facultates Societatis adcenseretur, cum iure academicos gradus Nostris conferendi.

Bras. Merid. — Ineunte mense maio, ipso die Paschatis, pluvia maxima effundebatur super Statum Rio Grande, et ob continuos imbres urbs Portualegrensis ita fuit inundata aquis ut, viis omnibus interclusis et luce electrica privata, nec per radium ullam habere posset communicationem. Partes illae civitatis ubi operarii habitant aquis cooperiebantur. Ingens fuit numerus familiarum quae, propria domo et habitatione privatae, ad christianam aliorum caritatem confugerunt. Nostri nullum pro his indigentibus laborem nullumque onus recusarunt, et die noctuque laborantes omnem operam posuerunt ut eos adiuvarent. Nostrum Collegium Portualegrense 800 horam indigentium recepit; pro 5.000 cibus distribuebatur ope culinarum ambulantium. Patres, Fratres Coadiutores, alumni ipsi nostri Collegii magna caritate et abnegatione quidquid in ipsis fuit fecerunt ut opem omnibus ferrent.

Circuli operarii quibus in urbe Portualegrensi assistit P. Ignatius Valle optimum exercent influxum et optima gaudent fama et aestimatione praesertim apud civiles auctoritates. Die primo maii etiam operarii sic dicti *syndicalisti* circulis nomen dederunt et Missam tamquam fundamentum festivitatum officialium declaraverunt. Ipsae auctoritates civiles et militares Missae interesse voluerunt.

Viceprov. Chilensis. — Destructo penitus a terraemotu Noviciatu Chillanensi, nova Domus Probationis erecta est in loco dicto *Marruecos,* cui addita est Domus Exercitiorum. Deo favente, plurimi ad illam concurrunt, praecipue iuvenes universitarii ex proxima urbe lavobolitana. — Cum, creata de novo dioecesi Portumonttensi, Ecclesia Paroecialis in templum Cathedrale convertere necesse esset, Ecclesia nostri Collegii huius civitatis in Paroeciam erecta est et curae Nostrorum commissa.

Colombiana. — Universitas Xaveriana, pro Facultatibus civilibus pretio conduxit a Gubernio ipsam partem Collegii Sancti Bartholomaei, in qua aulas prius habuerat. Facultates vero Philosophiae ac Theologiae versantur in pago Chapinero, prope urbem Bogotanam, et occupant partem novi aedificii Collegii Maximi, quod eleemosynis a fundamentis construitur.

Mexicana. — In dies mitiores sunt condiciones, manentibus tamen legibus sectariis, in quibus Nostri sua opera evolvunt, et iam sensim sine sensu inter nostras domus aliquae bene sunt constitutae, ita ut Nostris vitam communem et regularem habere liceat.

Singulari mentione dignus est Congressus Eucharisticus, primus qui habitus est in urbe Chihuahua. Concurrerunt indigeni coloni exalumni nostri et magnus numerus puerorum puellarumque ex montibus Tarahumarensibus advectorum, magnis superatis difficultatibus itineris. Hi omnes admirationem excitarunt ob suam pietatem. In speciali Hora Sancta, pro eis in Ecclesia Cathedrali habita, ipsi in lingua tarahumarensi suas orationes recitaverunt piosque cecinerunt cantus. Postea Pater quidam in lingua tarahumarensi ad ipsos verba fecit. Gubernator Status eos recipere voluit et coram ipsum choreas suae tribus proprias peregerunt. Comparatione instituta inter optimum exitum a nostris Missionariis obtentum et illum infelicem a laica institutione, clare apparet quantus sit fructus nostrarum Missionum quae in Tarahumara habentur.

Congressus Nationalis Mexicanus CC. MM. (20-27 aprilis.) — E periodico *Sodalitas,* edito a Confoederatione Nationali CC. MM. pauca excerpimus. Constituta Confoederations Nationali CC. MM., consilium ipsum celebrandi in urbe capitali conventum generalem omnium CC. MM. susceptum est ab omnibus sodalibus magno calore ac plausu. In illius praeparationem, cum nostris Patribus conspiraverunt, duce Excmo. Archiepiscopo urbis Mexici, plurimi Episcopi ac Directores Congregationum. Praeses comitatus promoventis fuit P. Iosephus M. Altamirano. Convenerunt circiter 2.000 sodales. Paterna verba benedictionis miserat Summus Pontifiex, sa-

lutationis Pater Noster. In omnibus actibus Congressus eluxit mira animorum coniunctio et quaedam simplicitas cum splendore coniuncta. Convenientium amor erga CC. MM., accensus publicis orationibus ac mutuis sermonibus, valde auctus est, itemque ardor easdem per totam Rempublicam promovendi ac propagandi. Placuit vel maxime accurata oratio Patris Altamirano de *Actione Catholica et CC. MM.*, in qua retulit de facta confoederatione Congregationum Marianarum Mexicanarum cum Actione Catholica Mexicana.

Congressus Nationalis Apostolatus Orationis (21-28 septembris). — Alium Congressum Nationalem coadunavit in urbe Mexico Apostolatus Orationis, sub quo consociantur in tota Republica circiter 500.000 sodales, quorum 30.000 pertinent ad Cruciatam Eucharisticam. Praeparatio Congressus, sessionum atque orationum ratio, actus generales pietatis, fructuum perceptio, nec dissimilia nec minora fuerunt quam in Congressu CC. MM.

NUNTII DE MISSIONIBUS

Generalia. — Pars Societatis in apostolatu missionario, collata cum universo apostolatu missionario. Ineunte anno 1939 Societas habebat:

1/7 sacerdotum missionar. non indigenarum. (1858 ex 14.215)
1/8 paganorum in missionibus S. I. (168.000.000 ex 1.351.000.000)
1/7 conversionum in nostris missionibus. (3.032.000 ex 21.143.000)
1/6 baptismorum in nostris missionibus. (159.961 ex 1.070.953)
1/8 seminaristarum indigenarum. (2.052 ex 16.965)
1/9 sacerdotum saecular. indigenarum. (750 ex 7.000)
1/3 Episcoporum indigenarum. (10 Eppi. S. I. ex 32)
1/6 catechistarum et magistrorum. (22.249 ex 136.234)
1/3 scholarum. (10.869 ex 37.421)
3/5 Universitatum (et Colleg. Universitar.) (15 ex 24)
1/4 periodicorum editorum in missionibus. (80 ex 346).

Societas suis 3.785 missionariis (1939) habet 1/6 omnium missionariorum pertinentium ad 70 Instituta Religiosa.

(ex Nuntiis Prov. B. M. 4-7-41).

Miss. Kwango et Kisantu. (2 Prov. Belg.) — Scholastici harum Missionum, qui iam anno praeterito cursum theologiae incipere debuissent, hoc anno illum incipient, illi in ipsa Miss. Kwangensi, hi in Seminario Maiore Mayidiensi. — Opera scholaria, non excepto Collegio Leopolitano pro Europaeis, florentissima sunt. Guber-

nium Coloniae adiuvat Missiones subsidiis ordinariis et extraordinariis; pro aedibus scholarum etiam aliquae societates commerciales eleemosynas largiuntur. — P. Theodorus Monnens (Prof. Univ. Greg.), qui ab anno in Missione Kisantuensi degit, profectus est in partem orientalem Congi Belgici, et Costermansville (in Missione Patrum Alborum), Collegium Societatis pro Europaeis incipiendum curat.

Miss. Betsileensis. (Camp.) — De Missione Betsileensi accepimus sequentia, ab ipso Vicario Apostolico relata: 15 Patres missionarii, qui fuerant ad militiam convocati, ad suum quisque locum, Deo gratias, liberi rediere. Alii plures iter maritimum iam arripuerunt, in auxilium Missioni adventuri. — Communes restrictiones in usu plurimarum rerum, augmentum pretiorum, deminutio subsidiorum, nimis Missionem affligunt. Penuria olei, machinis movendis adhiberi soliti, multa itinere apostolica impedit et administrationem sacramentorum retardat. — Difficultates oeconomicas Missionis auxit incendium vorax villae rusticae *Domremy* 20 Km. distantis ab urbe Fianarantsoa, in media parte magni praedii collocatae. Damna facile 200.000 francis aestimari possunt. — Consectaria belli in vitam moralem populorum influentis varia sunt. Apud paganos et aliquos christianos frigidiores sitis immodicae libertatis et oblectationum mundanarum aucta est; contra vero, christianis ferventibus idem bellum attulit frequentiorem ad Deum recursum, impensiorem in iuvandis pauperibus sollicitudinem; in qua re supereminent coetus Cruciatae, Actionis Catholicae, iuvenes Congregationis Marianae. — Vergente anno 1940 numerabantur in Missione 179.500 baptizati, quorum 1.500 europaei. Anno praeterito fuerunt 9.490 baptismi, 508.000 confessiones, 1.503.000 communiones. Alumni in scholis erant 20.350. Seminarium Minus ingressi sunt 16 pueri.

Viceprov. Proximi Orientis. (Lugdun.) — Aestate proxima superiore Viceprovincia statum rerum suarum satis mutatum vidit, tamen pristinam ministeriorum sacrorum rationem constanter retinuit. Non obstantibus difficultatibus externis et penuria Nostrorum, tam Universitas et Seminarium Berytense quam scholae et reliqua opera spiritualia priorem fere ex integro activitatem resumpserunt. Missionarii gaudent libertate et aestimatione illorum populorum. — Mense septembri 4 Patres, et 6 Scholastici, magisterio acto, in patriam regressi sunt. Ast illuc missi sunt in subsidium duo Patres ad docendum in Universitate et 4 Patres Missionarii. — R. P. Carolus Sautier, Director Seminarii Orientalis, capellanus militum voluntarius, post 10 dies apostolatus actuosi et

foecundi inter milites prima acie pugnantes, gravissimo vulnere in fermore accepto, cruris dextri amputationem subire coactus est. Sed cito ac bene restabilitus, magno animo fortique pristinum munus in Seminario resumpsit. Superiore etiam aestate R. P. Christophorus de Bonneville, Praepositus Viceprovinciae, curam suscepit satis onerosam providendi familiis multorum qui refugium in urbe Berytensi quaesierunt. — Noviciatus Bikfayensis nullam subiit in vitae ratione interruptionem. Nunc numerat fere 10 Novicios.

Miss. Poonensis. (Germ. Sup.) — Pro novo Collegio theologico, quod hucusque apud Collegium alumnorum Sancti Vincentii in urbe Poonensi hospes erat, tandem fundus aptus acquisitus est; illius constructio statim incoepta iuxta delineationes a P. Alfonso Geeraert (e Miss. Ranchensi) confectas. Speratur fore ut ineunte anno scholastico 1942-43 Theologi in novum suum Collegium migrare possint.

Miss. Calicut.-Mangalor. (Ven. Mediol.) — Duae Scholae Altae et Collegium Universitarium, quae anno 1937 Missio in urbe Bangalore a Missionariis Parisiensibus suscepit, nuper celebraverunt admissionem 2.000^{mi} alumni. — Praeter tres quatuorve e Nostris qui in campo concentrationis detinentur, reliqui omnes missionarii, in quatuor Domibus nostris adunati, libere sua ministeria exercent.

Miss. Calcuttensis. (Belg. Mer.) — Ultimis diebus mensis Iulii IV Centenarium pulchris caeremoniis in omnibus ecclesiis urbis Calcuttae celebratum est. Cum illo tempore Calcuttae adunati essent septem Episcopi suffraganei illius Provinciae ecclesiasticae, caeremoniae splendore inusitato splenduere. — Missio Calcuttensis, ubi a longo tempore vocationes perpaucae erant, nunc in Noviciatu Hazaribaghensi (Miss. Ranchens.) habet 8 Novicios, quorum 6 in primo anno. Inter eos est primus Novicius e gente "Santali" oriundus. — Dies mundialis CC. MM. magna pompa celebrata est in urbibus Calcutta et Darjeeling. In Calcutta tot Sodales indigenae praeter exspectationem venerunt, ut contio non praevisa dari deberet etiam in lingua bengalensi. In Darjeeling convenerunt sodales omnium scholarum puerorum et puellarum regionis montium. — Occasione quinquagesimi anniversarii Encyclicae *Rerum Novarum* omnes episcopi provinciae ecclesiasticae bengalae litteras pastorales dederunt de opere sociali catholico et caeremonias praescripserunt die dominica 18 maii ubique habendas. In Collegio NN. Kurseongensi sollemnis academia habebatur praeside ipso EE. DD. Pèrier, Archiepiscopo Calcuttensi. Professor theol. mor. et iur. can., P. Hieronymus Sanders, in lucem edidit *Catechismum Doctrinae socialis*.

Miss. Hong Kong. (Hibern.) — Cum novi missionarii Nostri ex Hibernia in hanc Missionem iter facere non possint, et consequenter Schola linguae Sinicae vacua fere maneat, in ea inceptum est a mense septembri anni 1940 Seminarium minus Societatis ad praeparandas vocationes sinenses pro Societate. — Ob magnum numerum fugitivorum e Sina in nostram Missionem, Collegium Wah Yan multo plures solito alumnos numerat. Per ferias Natalitias ipsi alumni, duce Patre Praefecto Studiorum, se impigre devoverunt labori distribuendi pauperibus fugitivis vestes, cibos, etc. — Urbe Canton expugnata, duo e nostris Patribus e Hong Kong in eam urbem transierunt, ubi pro fugitivis et victimis belli, in campis et xenodochiis multum pro corporibus et animis iuvandis insudaverunt.

Miss. Wuhuensis. (Cast.) — A tribus annis sub ditione est partim sinensium partim iaponensium. Acies utriusque exercitus in ea varie explicatur, unde fit ut, bellicis actionibus hinc inde susceptis, vita quotidiana illius regionis continua agitatione perturbetur, nec fas sit Nostris inter se consuetam communicationem retinere. Attamen, Deo favente, opera Missionis prospere procedunt. — In typographia Domus centralis Wuhuensis Pater Franciscus Bolumburu edidit librum *La Misión de Wuhu. Su historia. Sus obras.* Constat 224 paginis; ornatus est illustrationibus photographicis, delineationibus, cartis geographicis. In prologo, exarato a Revmo. Vicario Apostolico, legimus: "Quod anno 1922 (quo, scilicet, Missio vivere independens coepit) oculis missionariorum tamquam somnium roseum repraesentabatur, videmus hodie in rem actam feliciter transiisse. Habemus enim Scholam praeparatoriam, Seminarium Maius et Minus, tria dispensaria pro infirmis, Collegium Sancti Aloisii complectens cursum elementarem, studia media, Scholam industrialem, Collegium etiam pro puellis sub directione Religiosarum, novos districtus cum Residentiis, et templis et scholis, Residentiam Episcopalem pro Exc.mo Vicario Apostolico; et tamquam indicem exprimentem vitam internam Missionis 39.000 catholicos et 24.000 catechumenos. Atque haec post tot discrimina rerum, nimirum, bellum sinico-iaponense, quod adhuc premit Missionem, bellum hispanum, quod non potuit non multas difficultates Nostris creare, ingens bellum hodiernum. Est igitur quod Deo gratias de tantis beneficiis referamus, et animum erigamus ad continuandos labores in hac cara particula vineae Domini". — Grassante bello sinico-iaponensi per illam regionem, omnes missionarii protestantes, praeter duos, Nostris nihil infensos, e Vicariatu recesserunt; quod fuit catholicis laetitiae, paganis autem mirationi, dum nostros missionarios, in suo quemque loco, perstantes conspiciebant.

— Collegium Sancti Aloisii consecutum est tandem recognitionem officialem studiorum mediorum. Hac fausta occasione instaurata est expositio quaedam laborum scholarium, quae esset specimen activitatis Collegii. Illam plura civium milia studiose visitarunt, inter quos multi ex primoribus et officialibus civitatis. Fuit magnae et utili divulgationi Collegio, quod optima gaudet fama inter omnes Scholas civitatis. Omnes scholares Collegii numerantur 810. Praeterea, in aliis scholis elementaribus urbis habet Missio 615 alumnos. Nuper editus est in typographia Missionis liber *Flos Sanctorum Societatis*, quem ex hispana lingua in sinicam verterat Scholasticus Iosephus M. Tchang.

Miss. Ankinensis. (Leg.) — Iisdem plus minusve angustiis ob bellum arctatur ac Missio Wuhuensis. Sectiones et districtus, media acie militum, dispertiti; aliqua sacella, scholae, Residentiae missionariorum, globis incendiariis destructae; multi catechumenatus, impediti; P. Iosephus G. Olmedo per 40 vices tormenta velivolorum sustinuit; sed a remigando et contendendo Nostri non desistunt. — Collegium Ankinense plus quam 300 alumnos recipit; in una dumtaxat urbe Anking fere 700 pueros Nostri erudiunt doctrina christiana et litteris. — Seminarium Minus et Praeparatorium florent frequentata a 86 alumnis. — Missio gaudet auxilio 13 sociorum e Provinciis Colombiana et Mexicana advectorum.

Miss. Shanghai. (Franc.) — Universitas *L'Aurore* in urbe Shanghai, quam ab anno 1932 moderatur P. Georgius Germain, hoc anno numeravit 1.230 alumnos: 473 in Facultatibus, 757 in cursibus praeparatoriis. Eadem Universitas in sectionibus femininis Facultatis Litterariae et in Schola Superiore Infirmariarum, annexa Facultati Medicinae, recepit 270 alumnas. Die 30 iunii huius anni data sunt: a Facultate Medicinae 25 diplomata, a Facultate Scientiarum 15, a Facultate Iuris 11, a Facultate Litteraria feminina 12, a Schola Superiore Infirmariarum 15. Praeterea 26 diplomata physico-chemico-biologica, 92 studiorum mediorum perfectorum. — Cruciata Eucharistica in toto Vicariatu vere florida dicenda est. Iuniores sodales (cadets et cadettes) efformant 9 coetus cum 242 membris; pueri puellaeque 49 (quorum 27 in ipsa urbe Shanghai) cum 1.138 inscriptis. — Primarii viri non christiani magni vici *Szeking*, 30 Km. distantis ab urbe Shanghai, Patribus Andreae Tsu (Prov. Franc.) et Elisaeo Escanciano (Prov. Leg.), occasione belli optime de universo pago meritis, inscriptionem honorariam *pien* publice dedicarunt. In ea signis grandioribus haec verba legebantur: *Protectoribus populi.* Dein gesta eorum praecipua brevissime commemorabant. Denique concludebant: *Populus Szeking, magnis*

his beneficiis gratissimus, hanc inscriptionem dicavit ad perpetuam rei memoriam.

Miss. Süchow. (Can. Inf.) — Collegium Süchowense a Gubernio Sinensi recognitum, numerat 450 alumnos, quorum 80 sunt christiani. Alterum Collegium, inchoatum anno elapso in Tangshun, necnon Schola normalis pro formatione Catechistarum florent. Conversiones sunt numerosae; regiones ab urbibus distantes satis periculosae manent; at nostris Missionariis licet ubique agere iter. — Die 15 iunii ordinatus est primus sacerdos indigena e Missione oriundus.

Miss. Sienhsien. (Camp.) — Omnes missionarii vitam quotidianam ducunt periculis plenam, nec tamen animi tranquillitatem et ardorem in laborando perdiderunt. Crescit amor paganorum erga Ecclesiam Catholicam, neque rythmus conversionum cunctationem ullam subiit. Christiani ardentius orant et perfectius agunt quam tempore praeterito. Neophyti audiunt paganos mirari animi serenitatem christianorum, mediis in angustiis positorum. Tot tantisque calamitatibus oppressi nostri christiani in exercitio virtutum radices agunt altiores, quo eorum fides crescit ac roboratur pro futuro. — Quidam Pater profectus ex Europa mense iunio 1940, pervenit ad Missionem mense februario 1941. Hoc anno alius Pater iter arripuit mense iulio; nescimus adhuc an illuc pervenerit.

Miss. Kinghsien. (Austriae) — Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, dato die 17 mensis martii, Seminarium Maius Kinghsiense canonice erectum est in Seminarium Regionale pro Missionibus de Sienhsien, Taming, Yungnien, Kinghsien nuncupatis. Seminarium concreditum manet Societati Iesu, "de qua re (scribit Emmus. Card. Praefectus praefatae Congregationis) valde gaudet haec Sacra Congregatio, cui nota est gloriosa traditio educatrix ecclesiastica Filiorum Sancti Ignatii". Primus eius Rector nominatus est RR. Praefectus Apostolicus, P. Leopoldus Brellinger. — Seminarium Minus et schola catechistarum, quae anno priore in Missione incipiebant, bene procedunt. — In Collegio Nankunensi cum schola elementari superiore iam numerantur circiter 60 alumni. — Etiam ministeria apostolica in urbe Kinghsien et in districtibus cum bono exitu continuantur, ut probat magnus numerus neophytorum. Neque tamen desunt difficultates atque impedimenta apostolatus, praesertim in regionibus a communistis occupatis.

Miss. Iaponica. (Germ. Inf.) — Primum volumen Encyclopaediae Catholicae Iaponensis sub auspiciis nostrae Universitatis To-

kiensis tandem editum est. Exceptum est magnis laudibus, et totum incoeptum opus Encyclopaediae magna iam gaudet aestimatione et fama. Praecipuae ephemerides illius apparitionem ut eventum magni momenti in animorum cultu salutaverunt. Graves auctores illud celebrarunt, ut catholicum et scholasticum. Uno mense vix elapso, tota prima editio trium milium exemplarium exhausta est.

Periodicum *Monumenta Nipponica* et maiore numero lectorum, et maiore aestimatione in diversis mundi plagis, in dies gaudet. Institutum *Kokusai Bunka Shinkôkai* ad relationes culturales promovendas, et Gubernium ipsum illius diffusionem procurant; utrumque ducenta exemplaria, praevia subnotatione, recipit.

In serie *Monumenta Nipponica Monographa* sequentes libri apparuerunt: 1. Gustav Voss, S. I., Hubert Cieslik, S. I. *Kirishitiki und Sayoyoroku*. Translatio primariorum fontium Iaponicorum historiae persecutionis Christianorum. Hoc opus parat instrumenta magni momenti pro scientia historica, et natum est plurimum promovere illud periodicum. — 2. Iohannes Laures, S. I. *Kirishitan Bunko*. Opus bibliographicum describens libros qui agunt de Missione Iaponica antiqua et recentiore. Huius libri prima editio, trecentis exemplaribus constans, intra duos menses fere exhausta est, laudeque virorum doctorum honestata.

Miss. Philippina. (Maryl.-N. E.) — Instituta est in Insulis nova quaedam *Associatio Historica Philippinarum*. Inter 40 invitatos ut membra eius fieri vellent, numerabantur 3 e Nostris, i. e. PP. de la Costa, Repetti, Selga. — In domo Probationis ad Novaliches hoc anno ingressi sunt 18 Novicii. Nunc in hac domo habentur 21 Novicii, 13 Iuniores, 20 Philosophi.

NECROLOGIA

P. Alexander Fracchioni (Ven.-Mediol.), natus Placentiae die 24 iunii 1866, alumnus fuerat Scholae Apostolicae Monoecensis, unde Societatem ingressus est die 11 octobris 1882. Magisterium peregit Scodrae in Albania, quam post tertiam probationem iterum petiit anno 1897 ibique mansit ad mortem usque. Plures annos ministrum et procuratorem egit et docuit in Collegio et Instituto Scodrensi physicam et scientias naturales, in quibus laudem haud exiguam sibi comparavit maxime ob collectiones copiosas et selectas rerum naturalium et archaeologiae ac mineralogiae Albaniae, quae

a peritis plurimi fiunt. Etiam linguam albaniensem impense coluit, et utiles libros albanice edidit. Pie obiit Scodrae die 22 decembris 1940.

P. Gulielmus Pennisi (Sic.), Messanae nobili genere ortus die 19 maii 1878, e nostro Collegio Gaudisiensi adolescentulus Societatem ingressus est die 14 sept. 1892. Post sacerdotium Dublini in Hibernia susceptum, Collegio Melitensi plures annos addictus, in iuvenibus moderandis et educandis insignes dotes portendit. At Provinciae Procurator anno 1921 renuntiatus, ampliorem campum ad mortem usque habuit sese impendendi et superimpendendi in bonum suorum Fratrum; eique magna ex parte, post Praepositos Provinciales, debet Provincia Sicula novum Sociorum et domiciliorum incrementum quo superiore vicennio florere coepit. Magna simul cum alacritate Missionum curam habuit atque etiam sacris ministeriis indefessus opere dabat, et consilio auxilioque omnibus semper praesto erat. Violento rapidoque morbo attactus, sereno vultu animoque tranquillo mortem obiit Panormi die 31 maii 1941, aetatis anno 64, Societatis 49. Eius iustis funebribus ingens civium multitudo adfuit optimum Patrem sibi ereptum sincere deflentium.

P. Carmelus Previtera (Sic.) magna cum eximiae virtutis laude mortuus est Panormi die 8 apr. 1941, aetatis anno 74, Soc. 38. Natus Linguaglossa (Cantania) die 28 mart. 1868, post studia humaniora in nostro Collegio Gaudisiensi peracta, binas architecturae et mathesis laureas adeptus est. Triginta quinque annos natus, liberalibus hisce artibus et mundo valedicens Societatem ingressus est die 28 sept. 1903, in eaque semper dein religiosissime admodum vixit ad exemplum. Sacerdotio initiatus, die 2 februarii 1918 sollemnem 4 vot. professionem emisit. Instituti nostri peritissimus simul et amantissimus anno 1923 a sua Provincia delectus est ut Congregationi Generali XXVII interesset ad ius nostrum recognoscendum. Variis in Provincia muneribus functus, etiam Romae in Universitate Gregoriana mathesim alimquamdiu docuit. Ab anno 1926 ad 1940 Socius P. Provincialis fuit. Orationis et unionis cum Deo et caritatis fraternae studiosissimus, humilitatem et vitam cum Christo absconditam peculiari cura coluit. At multi vel insignes viri eum a consiliis habere exquirebant, quibus comiter aeque et prudenter satisfacere semper praesto erat. Demum oculis fere captus, ultimos vitae menses in assiduis ad Deum precibus plerumque in sacello domestico traduxit, donec coram ipso SS. Sacramento prima feria sexta mensis aprilis gravi morbo primum attactus, post quattuor dies piissime ut vixit obdormivit in Domino, carissimam sui apud omnes relinquens memoriam.

In nosocomio Ultraiectensi, die 21 iunii, post diuturnam doloro-

samque aegritudinem, pie in Domino quievit **P. Ludovicus de Jonge** (Neerl.) aetatis anno 65, Societatis 44. Iam theologus Societatem ingressus est anno 1898; omnia nostra studia perfecit, et, obtenta etiam laurea in litteris classicis in Universitate Amstelodamensi, tandem annos agens 35 ordinatus est sacerdos. Per 20 fere annos fuit Magister et Praefectus Studiorum. Viribus corporis debilior, at animi fortior, multa indefesso labore perpetrare valuit, ita ut Superiores non dubitarent declarare illum tribus viris idoneis aequivalere. Praeclaris donis naturae et gratiae addidit ille spiritum mortificationis corporalis et abnegationis sui. Magna gratia et auctoritate gaudebat apud externos, catholicos et acatholicos etiam magnae dignitatis, necnon apud sacerdotes saeculares, quorum Sodalitatem magna sollertia moderabatur. Ut erat rerum Societatis valde amans, temporibus successivis pulchram scripsit Historiam Societatis Iesu tribus voluminibus contentam. Designatus Vicepostulator Causae Venerabilis Patris Ioannis Roothaan totum se novo labori dedit; anno 1933 peractum in patria processum ordinarium in Urbem tulit, in qua duobus annis degit parando editionem operum Venerabilis Servi Dei; sed eam ipse ad finem ducere non potuit. Redux in patriam fuit biennio redactor validus ac diligens periodici *Studiën.* Post, Superiores ad aliud opus maioris amplitudinis eum vocaverunt, in quo eximia scriptoris talenta quotidie, sed tacito nomine, excoluit ad solius Dei gloriam et fructum spiritualem lectorum. Pluries ictu apoplexiae prostratus, tandem quietem aeternam iniit, qui in terra quiescere nunquam voluerat.

P. Ivo de La Brière (Franciae) necopinato Bonis Auris a morte nobis ereptus est die 25 februarii. Lumen a Deo positum in Societate ad illustranda et diffundenda iura Ecclesiae Catholicae hodiernae exstinctum est. Natus is erat in Vif (Isère) die 30 ianuarii 1877. Post noviciatum perfectum anno 1896, a Superioribus dedicatus est studiis historicis, in quibus magistrum sortitus est Emmum. Card. Baudrillart, tunc temporis professorem in Instituto Catholico Parisiensi. Ut erat filius insignis historici Leonis de La Brière, et pronepos celebris aegyptologi Champollion et Archaeologi Champollion-Figeac, facultatem et artem historiae ebibisse videbatur, in qua progressus fecit singulares. Docuit theologiam in nostro Collegio in Hastings. A Patre de Grandmaison, qui eum plurimi faciebat, allectus est, probantibus Superioribus, ad scribendum in periodico *Etudes.* Redactor factus, illud per 30 annos plurimis et pretiosis articulis ditavit, praesertim suis menstruis *Chroniques du mouvement religieux.* His ipsis *Chroniques,* tanta scientia et conscientia exaratis, ductus est ad penitius studendum iuri naturali, cuius scientiam apprime calluit, quamque in Instituto Catholico

Parisiensi per 20 annos cum laude docuit. Igitur paratissimus ut erat in scientia theologica, historica, iuridica, multam sibi auctoritatem conciliavit, adeo ut Institutum Iuris Internationalis et ipsa Academia Diplomatica Internationalis cuperent illum sibi membrum cooptari. Multa egregie scripsit de Societate Nationum, de iure belli, de pace, de Ecclesia, etc.; quae omnia ille evolvit non mente frigida ac *laica*, ut ita dicam, sed corde catholico, apostolico, romano. Iura Ecclesiae Catholicae et actionem beneficam Pontificatus in res internationales illustrare, propagare ac palam defendere, verbo et scriptis: hic eius labor, haec eius maxima gloria fuit. Morte correptus dum haec ipsa iura Ecclesiae publice explicabat, nobis reliquit exemplum amoris ardentis et actuosi erga Christi veram Sponsam, quam ille, ut verus filius Societatis, unice amavit ac strenue defendit. Qui illum cognoverunt dolent praetera ereptum religiosum suarum regularum observantem, humanitate ac fraterna caritate valde ornatum, amicum fidelem et obsequentem, sanctam in Domino laetitiam et optimismum quaquaversus diffundentem.

P. Benedictus Emonet (Lugdun.) sub vesperum diei 18 decembris 1940 Massiliae repentina morte correptus est. Compleverat annos aetatis 74, Societatis 54. Natus erat in Sabaudia, et Societatem ingressus est vicennis. Anno 1903 venit ad Residentiam Massiliensem, quam per 37 annos nunquam esset relicturus. Primum se dedit totum Iuventuti Catholicae Studentium moderandae; dein complexus est etiam operam Syndicatorum Christianorum, Iuventutem Operariam, Actionem Catholicam, secessus et Exercitia Spiritualia pro sacerdotibus. Capellanus militum voluntarius durante bello 1914-18, quater meritus est palam honorifice compellari, et Legioni Honoris adscriptus est. Sed super omnia eius amor ferebatur erga sanctam Matrem Ecclesiam Catholicam Hierarchicam, quem amorem, ceu sui memoriale, relinqui voluit suis amicis in festis iubilaribus suae vitae religiosae. Ut orator, scriptor, moderator animarum magni ab omnibus habebatur. Excelluit etiam in tradendis Exercitiis spiritualibus Sancti Parentis ad praesentes hominum necessitates accommodatissime. Atque ille qui in suscipiendis novis operibus pro gloria Dei erat audacior, idem erat oboedientissimus mandatis Superiorum, et fidelissimus domesticae disciplinae observator ac custos. Quantum esset dilectus suis filiis spiritualibus, iuvenibus, operariis, magistratibus, sacerdotibus, ostenderunt signa doloris publica in eius exsequiis sollemnibus data, in quibus ipse Episcopus Massiliensis eius exuviis mortalibus sacra absolutione ultimum vale dixit.

Die 28 decembris 1940 decessit Tolosae **P. Iulius Besson** (Tolos.), anno aetatis 85, Societatis 67. Fuerat primum Magister Novi-

ciorum; dein professor valde aestimatus Iuris Canonici in Instituto Catholico Tolosano; denique Decanus huius Facultatis in eodem Instituto. Ut in rebus canonicis et erat et habebatur peritissimus, verbis et scriptis multorum consultatorum quaesitis respondebat. Religiosae Communitates non paucae, cum proprii Instituti Constitutiones ad novi Codicis Iuris Canonici praescripta accommodare vellent, petitis ab eo consiliis libenter utebantur. Anno 1920 Romam vocatus est ab A. R. P. Generali, ut cum aliis Patribus operam daret praeparandae adaptationi nostri Instituti praescriptis novi Codicis. Postea etiam in componendis schematibus Epitomes adhibitus est. Ab anno 1900 ad annum 1920 moderatus est periodicum *Revue Théologique Française,* quod anno 1907 devenit *Nouvelle Revue de Théologie,* modo redactum a Patribus nostri Collegii Maximi Lovaniensis. Ad ultimos usque vitae suae dies animos multorum in via perfectionis evangelicae scite moderabatur, quos sibi devinxerat morum suavitate, pondere doctrinae, exemplo virtutum religiosarum.

RR. DD. Iacobus López de Rego (Baet.) dum se Gades conferret collaturus Ordines Sacros alumnis Seminarii Gaditani, strage automobilistica correptus, post parvum temporis lapsum vitam pienter amisit. Certior factus P. Provincialis de tristissimo casu, statim cum aliis Nostris accurrit ad clinicam quae illum moribundum excepit. Inter acerbissimos dolores quos patientissime tulit, ipso fatente, "pro Deo et pro sanctificatione Hispaniae", interrogatus a Nostris an contentus moreretur: "utique, respondit, contentus morior, quia habeo id quod semper desideravi, mori, scilicet, in gratia Dei et in sinu Matris meae, Societatis Iesu". Cum recitarentur illa verba commendationis animae: "Sancta Dei Genetrix Virgo Maria suos benigna oculos ad te convertat"; ille animam efflavit. Compleverat 72 annos aetatis.

Natus est in urbe Compostellana, die 3 martii 1869. Perfecto Matriti cursu Iuris civilis, ingressus est Societatem anno 1890. Anno 1920 missus est ut Superior ad Missionem Carolinarum, quam S. Sedes nuper Societati commiserat. Anno 1923, nominatus est Vicarius Apostolicus Missionis. In difficillimo munere alacer semper indefessusque laboravit. Anno sancto 1934 Summus Pontifex Pius XI ei misit nomisma "Benemerito". Fractus viribus ex tanto labore et extrema egestate qua saepe premuntur illi missionarii, coactus est redire in Hispaniam ad recuperandam valetudinem anno 1939. Quantum per aetatem et vires infirmas licuit, semper praesto erat ad officia caritatis omnibus praestanda. Supremus Dux Franco ei, de Patria et Missionibus bene merito, honores concessit Ordinis Elisabeth Reginae Catholicae.

P. Emmanuel M. Sánchez Navarro Neumann (Baet.), natus 23 ianuarii 1867, ante ingressum in Societatem (8 februarii 1900) lauream in Medicina adeptus erat, quam artem cum laude per aliquot annos professus est. In Societate praefectus est Sectioni Geodinamicae in Specula Granatensi. Singulari cum esset ingenio ornatus, quamquam infirma semper valetudine utens, labori ob amorem Societatis atque oboedientiae se totum dedit, et brevi Stationem Seismologicam inter primas eiusdem generis Stationes Europaeas evexit. Instrumenta varia ad captandas undas seismicas invenit, quae domi, opera Fratrum Coadiutorum adiutus, ipse construxit. Non contentus labore quotidianae observationis et instrumentorum inventionis atque constructionis, scriptor fuit assiduus, qui amplius 300 articulos in ephemeridibus hispanis et exteris edidit, et primum manuale de re seismica in lingua hispana scripsit. Variis praeterea interfuit Congressibus Scientificis, fuitque socius multarum Consociationum Scientificarum. Anno 1931, cum omnia sibi adeo cara instrumenta laboris una cum ipsa Specula a Gubernio Reipublicae sublata fuissent, in Italiam exsul migrare coactus est. Sed clarus scientia, multo magis virtute claruit. Eminebat in eo spiritus poenitentiae, devotionis, orationis, stricta regularum observantia, dependentia a Superioribus, maxime vero humilitas et amor Societatis. Instrumenta seismologica a se inventa nunquam suo nomine inscribi voluit, sed ea vel Speculae vel Sanctorum Societatis nominibus nuncupavit. Coactus infirma valetudine et senio directionem Stationis Seismologicae relinquere, anno 1939 missus est in Domum Probationis ad Puerto de Santa María, ubi animam Deo reddidit post dolorosum morbum die 30 ianuarii anni 1941.

P. Richardus Ponsol (Cast.), primis diebus octobris anni proxime praeteriti, cursum missionarii ductum per 27 annos in Missione Wuhuensi, gloriosa morte coronavit. Natus erat in urbe Sancti Sebastiani anno 1879, e familia religiosissima. A pueritia vocationem missionariam adamavit; haec illum ad Societatem duxit. Anno 1913 commissa est Provinciae Castellanae Missio Wuhuensis. Tunc ille multiplicatam iam antea petitionem ut in Missiones mitteretur instantius iteravit. Voti compos tandem factus inter primae expeditionis socios Sinas advolavit. A suo in Missionem adventu totum se devovit virtutibus missionarii acquirendis et exsequendis. Ad exemplum Apostoli omnia omnibus se facere voluit. Linguam sinensem apprime calluit loquebaturque; nec linguam solum, sed etiam multiplicem et implicatam pro europaeis rationem urbanitatis sinensis ille didicit, eamque, mirantibus sinensibus, eleganter exsequebatur. Sinico more se induebat, edebat, visitationes accipiebat et referebat. Verbo: seipsum *sinificavit* quo facilius sinen-

ses lucrifaceret. Iure merito eius christiani dicere solebant: "Pater Ponsol videtur unus ex nobis, verus sinensis". Sic se totum illis tradiderat! Cum bellum sinicum-iaponense in suo districtu paulo instantius ageretur, nec ille a visitandis christianis cessaret, a militibus communistis sinensibus loco cedentibus quantum coniicere licet occisus est. Die 13 octobris inventum est eius cadaver in loco parum a Residentia distanti. Ictus globuli ferrei caput traiecerat, et cor eius pugione transfixum erat magno vulnere. Christiani ab eo exculti, et multi etiam pagani, pecuniam conferunt ad mausoleum perenne erigendum in memoriam amatissimi Patris. Nec desunt signa quibus comprobari possit illum in odium fidei esse interfectum.

Fr. Coad. Ignatius Garate (Cast.), natus erat in Azpeitia, prope Domum Sancti Parentis Ignatii die 25 dec. 1859. Die 8 dec. 1877 ingressus est Societatem in Poyanne (Gallia), ubi tunc temporis Provincia Castellana, exsul e Patria, Domum Probationis constituerat. Ad nutum Sanctae Oboedientiae semper promptissimus in officio maxime infirmarii sese exercuit. Alias inter religiosas virtutes excelluit semper in eo caritas fraterna et amor laboris. Lugendi dies quibus dissoluta Societas in Hispania permansit illi fuerunt occasioni suam eximiam caritatem ostendendi. Instar pedum et manuum fuit cuidam Fratri Coadiutori senio e semiparalysi laboranti. Sed nullius non admirationem movit eius abnegatio et caritas vere materna, qua ille, senex 75 annorum, astitit per longius tempus cuidam Patri affecto morbo valde repugnante. Quotquot testes exstisterunt tantae virtutis sua sponte exclamare cogebantur: "Revera, hic Frater est sanctus". Sed ultimis annis eum clariorem reddidit invicta patientia qua acerbissimos dolores aequo ac tranquillo animo toleravit. Mortuus est die 6 novembris, in festo omnium Sanctorum Societatis. Vixerat in ea 62 annos. P. Provincialis, dum nuntium mortis cum sociis Provinciae communicaret, ei coronam laudis contexuit, cuius haec gemma pretiosior: "Fuit perfectum exemplar Fratris Coadiutoris Societatis, dignus profecto frater eius qui fuit sanctus ianitor Universitatis Deustensis".[1]

P. Hippolytus Delehaye (Belg. Sept.) pie decessit Bruxellis die prima aprilis. Patria, Societas, ipsa etiam Ecclesia viro de scientia religiosa benemerentissimo orbata est. Natus erat Antverpiae 9 augusti 1859; ingressus Societatem 23 septembris 1876. Anno 1891 coetui hagiographorum adscriptus, in eo munere ad finem usque vitae constanter adlaboravit. Anno 1912 toti operi Bollandistarum

---

[1] **Cf. pag. 97.**

praefectus, mirum ad quantam ac late diffusam gloriam illud institutum evexerit. Ille pertinebat ad plura Instituta scientifica, tam Belgii quam exterarum Nationum. Titulo Doctoris, honoris causa, a multis Universitatibus decoratus est, multaque alia honoris insignia accepit. Pius XI, anno 1930 illum nominavit Consultorem S. Congregationis Rituum. Esset longum recensere quot ille libros, quot articulos, solida plenos eruditione, scripserit, maxime in periodico *Analecta Bollandiana* et in *Actis Sanctorum*. Fuit ille vir tenax sui officii, cui uni se dedit totum, et in quo per 50 annos constans ac indefessus laboravit. Amantissimus Societatis et Ecclesiae Catholicae, ut erat educatus in schola Martyrum et Sanctorum, quorum actis vehementer delectabatur, ad eorum exemplum, suum amorem laborando et scribendo vel maxime demonstravit. Ultimus morbus, qui eum brevi tempore ad sepulcrum erat deducturus, illum invenit scribentem ultimam paginam incoepti cuiusdam operis. Sic ille, ut strenuus in acie miles, cessit e vivis.

Die 26 aprilis supremum diem obiit **P. Iosephus M. Stadelman** (Maryl.-N. E.), iure merito nominatus princeps apostolus caecorum catholicorum in America. Natus in Gallia anno 1858, studia media peregit in Ambianensi Schola Apostolica, hominum illustrium foecundissima. Inde ad dilectam sibi Missionem Canadensem Neo Eboracensem se contulit et noviciatum incepit anno 1877. Ab anno 1900 totam suam operam admovit iuvandis in spiritu iis miseris qui facultate videndi orbati sunt. Eo ipso anno fundavit *Xavier Free Publication Society and Free Circulating Library for the Blind*, ipseque per quadraginta integros annos, plaudente Hierarchia Ecclesiastica, collaudantibus multis, etiam acatholicis, magno animo et sollertia moderatus est. Primus liber editus pro caecis fuit Catechismus Baltimorensis; secundus, Imitatio Christi; post hos edita sunt plus quam 6.000 opera, quae artem et litteras humanas illustrant, historiam, scientias naturales, hagiographiam, philosophiam, theologiam, asceticam, etc. etc.; quae opera caecus quisque in Statibus Unitis et in Canada gratis mutuari potest. Praetera *The Catholic Review*, periodicum mensile ab eadem Societate Xaveriana pro caecis editum, lectores habet non tantum in America, sed etiam in Anglia, Hibernia, Canada, Australia, Africa, India. Ut vero iis caecis qui libros digitis legere non possunt solatium aliquod afferret, Societas Xaveriana recentissime suscepit edere in lucem *libros qui loquuntur*, nimirum, laminas methodo nuperrime inventa impressas, quae postea, ope machinae phonographicae voces et verba sonant. Hac ratione impressa sunt integra quattuor Evangelia, Actus Apostolorum, etc. De singulis his libris facta sunt centum exemplaria, quae caeci, vel ex bibliotheca So-

cietatis Xaverianae, vel ex bibliothecis publicis gratis mutuari possunt. Quantam ille laetitiam ac consolationem animis tulerit caecorum dici vix potest. Vere ille oculus fuit caeco et pater erat pauperum. Plura de hoc opere dedit Vol. VI *Memorab.*, 1938, pag. 504-507.

Die 31 decembris 1940 a latronibus sinensibus occisus est **P. Carolus Simons** (Calif.). Natus erat die 28 februarii anni 1901, ingressus Societatem 13 februarii 1919. Fuit ille inter primos e Provincia Californiae socios qui ad Missionem Sinensem destinati sunt. Primus ibi sacris ordinibus initiatus, primus ab inimicis Ecclesiae morte gloriosa coronatus est. At mors nimis praematura, proh dolor!, ei inexspectata non fuit. Paucis ante sui occisionem mensibus scribebat suis parentibus: "Communisti in nostro districtu multiplicantur in dies; ne igitur miremini si aliquis e nobis ad caelum via breviori necopinato perveniat". Hoc monitu ille martyrium praeludebat. Ultimo die anni 1940, dum P. Simons cum alio missionario sub noctem fraterno colloquio versaretur, derepente duo latrones in Residentiam sese inferunt; pecuniam petunt audacius, vel potius exigunt; cum nummis acceptis non satis contenti, iubent Patrem persequi post sese. Vix domum reliquerat, cum nox tribus ictibus personabat. Accurrens subito socius illum invenit supremum spiritum iamiam emissurum. Globulus ferreus eius caput letalis transfixerat. Qui a condiscipulis appellabatur *Sanctus Simons* ob mirum spiritus fervorem, animi sanctam hilaritatem ac sollicitam caritatem fraternam, sanctam mortem pro Christo oppetiit annos natus 39.

P. Franciscus Krus (Bohemiae), e celebrioribus ac magis cognitis Patribus Societatis in Bohemia, operosam ac refertam meritis vitam clausit die 30 ianuarii 1941. Natus erat in pago Dobrà, Provinciae Frydekensis, anno 1871. Cursu gymnasiali perfecto, missus est Romam ad Collegium Germanicum, et in Pontificia Universitate Gregoriana lauream in philosophia et theologia adeptus est. In patriam reversus, annum vicesimum et octavum agens, nominatus est cancellarius Vicariatus generalis partis dioeceseos Bratislaviensis. Reliquae vitae cursus illi subridebat honoribus minime clausus; nisi quod ille Christum opprobriis affectum propius sequi voluit in Societate. Noviciatum ingressus est anno 1900, quo peracto, statim est ad ministeria addictus. Gessit cum plausu munera praefecti spiritus in pluribus seminariis, professoris in Facultate Oenipontana et in Instituto philosophico Benešoviensi, concionatoris, scriptoris, moderatoris periodici theologici *Zeitschrift für Katholische Theologie*, Superioris Residentiae Pragensis; sed praecipue, quod illi et Societati multam contulit gloriam, fuit verus apostolus su-

burbium Pragensium. Manet adhuc illorum operariorum alta in mente reposita memoria laborum, industriae, assiduitatis sibi carissimi Patris Krus. Optimus consiliarius et fautor Iuventutis Catholicae, iuvenilibus inceptis semper animos addidit ad maiora quotidie pro Deo patranda. Ipse redigebat periodicum *Dorost*, moderabatur quoque hebdomadarium *Neděle* tanta arte atque *actualitate* ut subnotatorum numerus a 66.000 ad 190.000, eo regente, cresceret. Fatentibus omnibus, inter multas ac praeclaras defuncti viri religiosas dotes excelluit eius indefessa labori deditio et consecratio. Cum iam senio et infirmitate gravis ad explicandam philosophiam aulam scholae ipse per se adire non posset, parvo curru portabatur. Cumque hoc ipsum ei impossibile evasisset, scholasticos ad suum cubiculum convocabat, eosque e lecto docebat. Impatiens quietis paucas noctis horas somno dabat, lassitudinis nescius reliquam diei partem labori incumbebat.

P. Stanislaus Sopuch (Po. Mai. et Maz.), Patribus Congregationum Generalium XXVII et XXVIII, quibus interfuit, optime notus, placidissimam animam Deo reddidit Varsaviae die 26 februarii.

Natus erat die 22 aprilis anni 1869 in Kòzuchów (Polonia Minore); Societatem ingressus est Staraviesiae die 24 iulii 1884. Studiis peractis, presbyter anno 1896 factus est, et qua operarius et concionator et moderator Congregationum, intensam activitatem religiosam et socialem evolvit primum Cracoviae, dein Leopoli. Anno 1904 Superior Residentiae Leopolitanae designatus, munus hoc, exiguis intervallis temporis interiectis, per 15 fere annos retinuit, in quo magnam aestimationem et amorem Nostrorum auctoritatemque externorum nactus est. Domum Exercitiorum Leopolitanam condidit, quam annis quatuor optime rexit. Annis 1905 et 1908 in Russiam penetravit, ubi nomine immutato et veste Religiosorum S. Francisci induta, cum non spernendo vitae periculo, animos Unitarum et Polonorum ibi dispersorum in vita religiosa erexit ac confirmavit. Anno 1918 deportatus in Russiam, Kioviae in carcerem coniectus est, a qua postea liberatus, totam Poloniam, Lituaniam et Russiam, ad Tomsk usque in Siberia perveniens, peragravit, ubique locorum consolationem religiosam suis connationalibus dispensando. Anno 1919 redux in patriam iam restauratam, mox Praepositus Prov. Poloniae constituitur, quam sapientissime rexit atque evolvit. Collegium Maximum Bobolanum Lublini exstruxit, et desideriis Sanctae Sedis et Patris Generalis obsecundans, initium dedit Missioni Orientali pro Unione Ecclesiarum in Polonia et Russia. Peracta divisione Provinciae Poloniae, et deposito munere, Superior Residentiae in Lódź constitutus est; sed anno 1934 praeficitur rursus Provinciae Poloniae Mai. et Mazoviae;

quod munus eadem ac prius prudentia et diligentia exercuit. Eius cura ac studio nova Domus Scriptorum Varsaviae exstructa est, et, tamdiu ab omnibus Nostris desiderata Canonizatio B. Andreae Bobolae felicem exitum habuit. Sub finem anni 1938 Superior Domus Calissiensis nominatur, sed eius labor et activitas bello interrupta est. Optimus Pater in vincula per aliquod tempus coniectus est, et, fractis viribus, in *Generalgouvernement* remittitur; post aliquos menses Varsaviae cursum laboriosissimae vitae, morbo cordis correptus, complevit. Quanti aestimaretur a Clero et fidelibus facile colligi potest ex immenso numero fidelium qui, non obstantibus pluribus difficultatibus, eius exsequiis adfuerunt. Carissimus Pater (tale cognomen in sua Provincia sortitus est) magnam partem habuit eorum quae non solum res gestas Provinciarum Poloniae, sed etiam vitam religiosam suae Patriae attingebant. Ut scimus, plurimi aestimabatur a SS. Pontificibus, et imprimis a Pio XI, qui cum esset Nuntius Apostolicus in Polonia, eum optime noverat.

P. Aloisius Yabar (Bras. Cent.) habebatur in Brasilia inter praestantiores operarios nostrae Societatis. Ortum habuit anno 1856 in Pancartambo, Cuzco, (Peruvia) e familia illustri tam virtute propria quam gloria maiorum. Iunior venit Romam, studio philosophiae ac scientiarum in Collegio Pio Latino Americano operam daturus. Accepta laurea ab Universitate Gregoriana anno 1877, mense decembri eiusdem anni in Gallia ingressus est Societatem. Anno 1880 (quo scilicet tempore Iesuitis facultas ingrediendi Peruviam negabatur) ille destinatus ad Brasiliam iter arripuit. 40 annos longioris suae vitae religiosae in gubernatione transegit. Rector fuit Collegiorum Neofriburgensis, Ituensis, Pii Latini Americani in Urbe, Superior Residentiarum Paulopolitanae, Ituensis, etc. Aedes magnificas Collegii *Anchieta*, erectionem Scholae Apostolicae, restaurationem templi SS. Cordis, directionem Nuntii SS. Cordis, fundationem Cruciatae Eucharisticae, aliaque opera bene multa ille agressus est alacer, et mira constantia perfecit. Anno 1916 missus est ex Urbe Brasiliam, Visitator Missionis Centralis, quam dein per 6 annos prudentissime gubernavit. Claruit ille ardenti zelo animarum ad perfectionem ducendarum, suiipsius imperio singulari, ardenti devotione erga SS. Cor Iesu, animi mansuetudine ac nobilitate, morum suavitate, qua nullum sibi non devinciebat et ad officia implenda impellebat. Anno 83 suae aetatis officium gubernandi dimisit. Eius memoria in benedictione est apud omnes qui illum cognoverunt. Quievit in Domino die 18 aprilis, anno aetatis 85, Societatis 64.

NOVI SUPERIORES MAIORES

R. P. Iosephus Demaux-Lagrange, adhuc Praepositus Prov. Tolosanae, a P. N. Facultates accepit Visitatoris pro quattuor Provinciis Assistentiae Galliae, et R. P. Georgius Marin (Can. Inf.) pro omnibus Missionibus nostris in Sinis.

PRAEPOSITI PROVINCIARUM ET VICEPROVINCIARUM:
Colombianae: R. P. Angelus Ocampo.
Hiberniae: R. P. Ioannes MacMahon.
Tolosanae: R. P. Bernardus de Gorostarzu.
Cubanae (VPr.) R. P. Raphael Garrido.
Lituaniae (VPr.) R. P. Stanislaus Gruodis.

SUPERIORES MISSIONUM:
Hong-Kongensis (Hib.) R. P. Patritius Joy.
Wuhuensis (Cast.) R. P. Emmanuel Bereciartúa.

VITA FUNCTI

A DIE 1 NOVEMBRIS 1940 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1941.

Romana: 13 dec. P. Aloisius Maccioni (57/42) Livorno; 21 febr. P. Iosephus Giovenale (83/61) Roma; 25 iun. C. Marius Gufoni (69/46) Galloro.

Neapolitanae: 16 maii P. Albertus Fraser (35/12) Colombo.

Sicula: 8 mart. C. Franciscus Xav. Falzon (72/46) Acireale; 17 mart. P. Horatius Monelli (81/63) Roma; 20 mart. C. Antonius Velasti (74/52) Sira; 8 apr. P. Carmelus Previtera (74/38) Palermo; 31 maii P. Gulielmus Pennisi (63/49) Palermo; 24 aug. P. Vicentius Liberante (66/51) Alcamo.

Taurinensis: 31 dec. P. Carolus Aimonetti (73/53) Sanremo; 9 febr. C. Carolus Aghemio (64/21) Torino; 21 sept. C. Antonius Oliva (85/56) Chieri.

Veneto-Mediol.: 1 dec. P. Carolus Viero (61/43) Milano; 22 dec. P. Alexander Fracchioni (75/59) Scutari; 11 febr. P. Alphonsus Beccalli (75/54) Gallarate; 13 febr. P. Hilarius Svaldi (33/9)

Trieste; 14 febr. P. Gaspar Zadrima (74/57) Modena; 5 apr. C. Antonius Roggero (76/60) Trieste; 28 apr. P. Beniaminus Petris (72/48) Bassano; 25 maii P. Natalis Fermi (71/52) Bangalore; 18 aug. P. Antonius Gianini (88/57) Parma; 18 sept. P. Ioannes Bapt. Marini (78/47) Lonigo; 28 sept. C. Iosephus Martinini (70/39) Lonigo.

Austriae: 29 dec. C. Antonius Kunte (64/37) Kalksburg; 14 mart. P. Iosephus Huber (63/25) Steyr; 2 apr. P. Iosephus Mathis (71/51) Kalksburg; 12 iul. P. Franciscus Treml (62/42) St. Andrä; S. Ernestus May (26/5) *in bello.*

Germaniae Inf.: 11 sept. 1940 P. Ferdinandus Steenaerts (61/34) Breslau; 13 nov. P. Iosephus Haggeney (63/45) Bonn; 26 nov. C. Petrus Brehler (62/38) Tokio; 31 dec. P. Adolfus Sturm (76/53) Münster; 15 mart. C. Franciscus Xav. Müntefering (64/34) Köln; 7 apr. P. Gulielmus Winkel (48/28) Brakel; 28 apr. P. Ioannes von Dalwigk (71/49) Essen; 13 maii P. Gulielmus Hutmacher (57/41) Essen; ? maii P. Wernerus Dietrich (64/44) Essen; 25 iun. P. Franciscus Xav. Cremer (76/54) Kopstal; 30 iun. P. Ferdinandus Ehrenborg (80/56) Dortmund; 19 iul. P. Iosephus Rompel (75/53) Pullach; 21 iul. S. Matthias Neumann (27/7) *in bello*; 1 aug. P. Henricus Möller (37/14) Kischniew; 22 sept. S. Gunterus Gockel (28/9) *in bello.*

Germaniae Orient.: 29 mart. P. Alphonsus Wolf (69/32) Oppeln; 10 iun. C. Kilianus Heim (48/21) Triashill; 13 iun. S. Paulus Marciniak (28/7) Lamia (Graecia); ? ? S. Franciscus Paletta (26/7) *in bello;* 10 aug. S. Franciscus Xav. Golli (30/10) in Saxonia; 13 aug. S. Udalricus Settnik (27/9) *in bello;* 13 sept. P. Gerardus Gansen (69/45) Oppeln; 24 sept. C. Bruno Faulde (31/5) *in bello.*

Germaniae Super.: 19 apr. P. Adamus Landvogt (72/35) Pullach; 3 maii P. Franciscus Stadelhofer (30/10) *in bello;* ? ? S. Antonius Filchner (28/8) *in bello;* 8 iul. S. Rupertus Plendl (28/9) *in bello;* 15 iul. S. Gulielmus Mathies (26/7) *in bello;* 16 iul. P. Antonius Baselgia (73/42) Bad Schönbrunn; 2 aug. S. Ludovicus Stiglmeier (27/5) *in bello;* 3 aug. Augustinus Martin (80/63) Pullach; 15 aug. C. Iosephus Dankl (30/4) *in bello;* 15 sept. P. Gallus Natter (34/13) Pullach; N. C. Emmeranus Stadelhuber (27/3) *in bello;* 25 sept. C. Ioannes B. Volger (30/9) *in bello.*

Hungariae: 28 febr. C. Stephanus Makai (36/16) Nagykapornak; 7 mart. C. Iosephus Christof (80/57) Pécs; 27 iun. P. Fran-

ciscus Xav. Pinzger (70/53) Pécs; 29 sept. C. Paulus Szuszedka (72/46) Budapest.

Neerlandica: 12 nov. P. Theodorus van Hout (84/55) Nijmegen; 25 dec. C. Bernardus Wammes (31/13) Mariendaal; 30 ian. P. Iosephus Hoeberechts (76/57) Djokjakarta; 6 mart. C. Cornelius Rebel (82/48) Nijmegen; 24 mart. P. Ioannes van Dinter (55/34) Utrecht; 6 apr. P. Leo van der Meer (42/22) Nijmegen; 16 iun. P. Arnoldus Hulsmann (73/55) Nijmegen; 21 iun. P. Ludovicus de Jonge (65/44) Utrecht; ? iul. C. Ioannes Olivers (66/34) in Iava; 28 aug. P. Ioannes Witte (63/44) Mariendaal.

Campaniae: ? maii 1940 N. C. Æmilius Grussermeyer (27/4) Montignie sur Vance (Ardennes); ? iun. 1940 P. Ignatius Delcourt (41/23) *in bello;* ? nov. P. Iosephus Macquart (88/68) Le Dorat; 15 dec. C. Petrus Megel (63/42) Lyon; 15 ian. P. Leo Dupont (76/58) Trincomalee; ? ian. P. Franciscus Dupont (53/35) Sienhsien; 10 febr. C. Victor Bronner (69/51) ?; 21 febr. P. Archangelus Potvain (82/64) Montpellier; 16 mart. S. Eugenius Bouchez (26/3) Vals; ? mart. P. Franciscus Xav. Willmé (47/26) in Belgio; 17 mart. P. Iosephus Dargent (81/58) Sarlat; ? apr. P. Humbertus Rumaux (59/35) Poitiers; 23 apr. C. Alphonsus Kients (45/18) Lyon; 10 maii P. Enricus Bury (80/57) Trincomalee; 23 maii P. Camillus Villaume (70/39) Nancy; ? ? P. Renatus Debièvre (58/39) in Madagascar; 21 iun. P. Iosephus Ritter (69/49) Colmar; 29 iul. P. Petrus Masquelier (79/56) Fressennville (Somme); 28 aug. P. Iosephus Lance (70/53) Fressennville (Somme); 6 sept. C. Iulius Guyon (64/21) Paris; 15 sept. P. Vandelinus Kurtz (75/57) Quimper.

Franciae: 15 maii 1940 C. Petrus Salaun (28/5) *in bello;* 11 iun. 1940 P. Petrus Tortat (33/12) *in bello;* 2 nov. P. Petrus Durouchoux (90/68) Nantes; 18 nov. C. Franciscus Roudaut (31/11) Nantes; 7 dec. P. Antonius Weckbacher (84/65) Zi-Ka-Wei; 19 dec. P. Carolus Baumert (76/59) Zi-Ka-Wei; 5 ian. P. Petrus Yu (76/53) Shanghai; 6 ian. P. Emmanuel de La Vaissière (68/49) Les Mées; 14 ian. P. Franciscus Corbillé (75/55) Paris; 7 febr. P. Petrus d'Armailhacq (73/54) Cannes; 25 febr. P. Yvo de La Brière (65/47) Buenos Aires; 4 apr. C. Hervaeus Henry (91/67) Nantes; 24 apr. P. Henricus Benaitreau (41/14) Shanghai; 30 maii P. Henricus de Villars (62/43) Paris; ? ? P. Alanus de Genouillac (72/54) Angers; ? ? P. Franciscus Camenen (75/55) Carnac; 3 iun. P. Paulus de Geloës (84/42) in Süchow; 10 iun. P. Aloisius Pouquet (79/57) Le Mans; 9 sept. P. Henricus Morin (70/50) Nantes; ? sept. P. Anatolius Bricogne (88/57) Nantes.

Lugdunensis: 5 nov. C. Germanus Thary (83/50) Lyon; 9 nov. P. Franciscus Xav. Lançon (69/46) Avignon; 24 nov. P. Fridericus Rossel (78/54) Paray-le-Monial; 29 nov. P. Henricus Costa de Beauregard (65/46) Avignon; 18 dec. P. Benedictus Emonet (75/55) Marseille; 2 febr. P. Carolus Treuvey (84/53) Paray-le-Monial; 7 febr. P. Eugenius Loiseau (79/61) Marseille; 10 febr. P. Alexander Torrend (82/64) Ghazir; 3 apr. P. Theodorus Tabet (68/51) Beyrouth; 8 apr. P. Carolus de Guiseuil (69/50) Lyon; ? iun. S. Ludovicus Tresca (31/12) *in bello;* 27 iul. P. Leo Mérard (70/49) El Cairo; 11 aug. P. Antonius Salhani (95/73) Beyrouth; 25 aug. P. Eugenius Pascal (89/69) Beyrouth; 30 aug. P. Henricus Riondel (76/58) Nizza; 28 sept. C. Theophilus Fèvre (68/49) Mongré.

Tolosana: 12 iun. 1940 S. Iacobus Beemsterboer (26/7) Tananarive; 30 sept. 1940 P. Hadrianus France (57/38) Madura; 1 nov. P. Aloisius Falgueyrettes (83/65) Tananarive; 28 dec. P. Iulius Besson (86/68) Toulouse; 20 mart. P. Paulus Dudon (83/61) Toulouse; 18 apr. P. Clemens Sandapper (76/57) Palamcottah; 21 apr. P. Regis Ryon (68/49) in Miss. Tananarivensi; 14 maii P. Iosephus Pagès (79/61) Madura; 25 maii P. Marianus Amalorpavanather (58/39) Madura; 9 iun. P. Gabriel Gomez (62/43) Madura; 11 iun. P. Ioannes B. Reix (58/40) Bordeaux; 16 iun. P. Ioannes Morère (84/63) Pau; 1 iul. P. Aloisius Camboulives (68/49) Trichinopoly; 22 sept. P. Robertus Pistre (60/44) in Viceprov. Madurensi.

Aragoniae: 28 nov. P. Sebastianus Casademont (75/60) Barcelona; 6 ian. P. Stephanus Miralles (78/55) Manresa; 8 febr. P. Ioachimus Puig de la Bellacasa (56/40) Barcelona; 22 mart. C. Iosephus Bonafacía (77/61) Valencia; 14 apr. S. Franciscus Xav. Borrel (25/8) Barcelona; 22 maii C. Iacobus Gisbert (62/44) Tarragona; 24 maii C. Iosephus M. Villanueva (72/52) Barcelona; 30 iun. C. Bernardus Cabot (33/12) Barcelona; 9 iul. P. Michael Noguera (76/45) Montevideo; 16 iul. P. Moyses Vigo (71/53) Barcelona.

Baetica: 1 ian. P. Franciscus Pastor (33/17) Sevilla; 30 ian. P. Emmanuel Sánchez Navarro (74/41) Puerto de Santa María; 23 aug. EE. RR. DD. Iacobus López de Rego (73/51) San Fernando; ? ? C. Raphael Arregui (32/12) in Miss. Iaponica.

Castellana: 27 sept. 1940 P. Emmanuel Quirós (73/59) Caracas; 6 nov. C. Ignatius Garate (81/63) Loyola; 14 nov. S. Ignatius Bengoa (25/6) Oña; 23 dec. P. Chrysantus Ciarán (75/59)

Oña; 26 dec. C. Petrus Eiguren (80/56) Loyola; 7 febr. P. Thomas Vicente (58/41) Panamá; ? febr. C. Raimundus Goicoechea (94/63) Habana; 11 mart. P. Ioachimus Ibañes de Ibero (66/48) Bilbao; 25 mart. C. Ioannes Lasa (57/34) Bilbao; 28 mart. P. Ioannes Gondra (79/57) Loyola; 4 apr. C. Dionysius Olea (84/ 64) Vigo; 5 apr. P. Vincentius Puente (80/51) Riobamba; 14 apr. S. Franciscus Xav. Ayestarán (28/12) Oña; 13 iun. P. Victorinus Izquierdo (76/59) Vitoria; 1 iul. C. Prudentius Aranzábal (56/37) Baquio; 15 iul. C. Iosephus M. Arregui (63/44) Logroño; 7 aug. P. Iesus Zabalegui (35/20) Baquio; 26 aug. P. Martinus Odriozola (58/42) Caracas.

Legionensis: 23 ian. C. Franciscus Gutiérrez (50/32) Comillas; ? febr. C. Placidus Martínez (81/55) Habana; 10 apr. P. Franciscus del Olmo (53/35) Santander; 30 maii C. Romualdus Angulo (71/46) Chieri; 8 iun. P. Andreas Martín (45/27) Valladolid; ? ? iun. C. Henricus Vicente (32/13) Liuan; ? ? P. Ferdinandus Larrucea (33/16) in Miss. Sinensi; 22 aug. P. Emmanuel Huidobro (43/24) Valladolid.

Lusitana: 27 mart. C. Ioannes Prata (71/43) Caldas de Saúde; ? aug. P. Antonius M. Alves (76/61) Macau.

Toletana: 13 dec. C. Petrus Moreno (50/30) Arequipa; 27 iun. S. Felix Fernández (25/8) Chamartín.

Angliae: 30 sept. 1940 P. Gulielmus Crofton (83/63) Tremeirchion; 28 nov. P. Iosephus Ryan (45/27) ?; 7 dec. P. Ioannes Driscoll (76/56) ?; 18 ian. P. Matthaeus Ingram (61/42) Stonyhurst; 27 ian. C. Carolus Walsh (82/62) St. Beuno's; 29 mart. P. Gulielmus Warren (72/44) West Derby; 7 apr. P. Wilfridus Hopkins (69/49) Old Windsor; 13 maii C. Carolus Cragg (79/58) St. Beuno's; 19 maii C. Ioannes Sinnot (79/58) St. Beuno's; 25 iun. P. Ignatius O'Gorman (81/61) Heythrop; 2 sept. P. Patritius Wolfe (82/60) Tremeirchion; 6 sept. P. Iosephus Murray (49/30) Petworth.

Australiae: 6 nov. P. Henricus McArdle (53/33) Sydney: 13 iul. P. Matthaeus Egan (70/54) Melbourne; 28 iul. P. Gerardus Corr (66/50) Sevenhill.

Belgica Merid.: 5 ian. P. Eugenius Laveille (70/50) Arlon; 12 ian. S. Leo Plissart (37/19) Dinan; 30 mart. C. Leo de Fooz (40/14) Haine-Saint-Paul; 30 apr. P. Xaverius d'Espierres (74/55) Tournai; 16 iun. P. Ludovicus Degrelle (83/66) Namur; 21 iun.

C. Amatus Carlier (31/11) Kisantu; 13 iul. C. Ioannes Stephens (55/35) Ranchi.

Belgica Sept.: 21 maii 1940 P. Vedastus Janssens (52/33) Aubigny; ? aug. 1940 S. Marcus Van der Veeken (21/10) Lemfu; 18 nov. S. Iosephus Kujur (29/7) Shembaganur; 14 dec. P. Paulus Goethals (76/49) Brussel; ? ian. P. Carolus Herman (68/46) Calcutta; 7 ian. C. Iosephus Mols (61/37) Kurseong; 12 ian. P. Iulius Verest (83/60) Gent; 27 ian. P. Ioannes Sternaux (62/37) Wien; 25 febr. C. Victor Bauters (75/48) Brugge; 28 febr. C. Franciscus Charbonnier (82/35) Haine St. Pierre; 18 mart. C. Achilles Roelstraete (64/49) Galle; 1 apr. P. Hippolytus Delehaye (82/65) Brussel; 23 apr. P. Petrus d'Alcantara (69/51) Ranchi; 25 apr. P. Mauritius De Kerchove (70/52) Gent; 17 iul. C. Ioannes Looymans (53/33) Leuven; 27 iul. P. Petrus Van der Meersch (46/28) Turnhout; 5 aug. S. Gerardus Cooreman (27/8) Tienen; 18 aug. P. Iosephus Dykmans (83/65) Antwerpen.

Canadae Infer.: 25 oct. 1940 S. Iosephus Gousseau (33/11) ?; 17 mart. C. Audomarus Demers (61/37) Montréal; ? ? P. Arthurus Melançon (78/58) Montréal; 8 iul. P. Napoleo Paré (77/57) Montréal.

Canadae Super.: ? ? P. Iosephus Primeau (65/44) Montréal; 5 mart. C. Daniel Murphy (86/62) Toronto; 6 sept. P. Georgius Bradley (61/37) Charlottetown.

Hiberniae: 14 mart. P. Henricus Browne (88/64) Heythrop; ? ? P. Patritius Bartley (62/47) Limerick; 17 iun. P. Iacobus Brennan (87/66) Dublin; 24 iun. P. Thomas V. Nolan (73/54) Dublin; 16 iul. P. Eduardus Cahill (74/51) Dublin; 7 sept. C. Patritius Burke (60/21) Dublin.

Californiae: 14 dec. C. Petrus Brancoli (67/48) Santa Clara; 31 dec. P. Carolus Simons (40/22) Shuyang; 10 ian. P. Albertus Whelan (52/34) New York; 20 ian. P. Laurentius O'Keeffe (59/33) Los Angeles; 18 maii C. Thomas O'Brien (75/27) Santa Clara; 13 iul. P. Iacobus Conlon (71/45) Santa Barbara.

Chicagiensis: 4 nov. C. Gulielmus Durkin (89/57) Detroit; 5 dec. P. Urbanus Killacky (56/37) Milford; 13 febr. P. Carolus M. Ryan (60/43) Cleveland; 4 maii P. Iacobus P. Monaghan (72/52) St. Louis; 12 iun. P. Iosephus Conroy (73/53) Chicago; 1 aug. P. Carolus B. Moulinier (82/62) West Baden; 8 aug. S. Ignatius Col-

lins (29/9) in villa Skegemog; 25 aug. P. Iacobus Quinlan (54/15) Cleveland.

Marylandiae-Neo Ebor.: 10 nov. S. Carolus Brennan (31/13) Baltimore; 8 dec. C. Ferdinandus Steimer (81/55) Poughkeepsie; 1 ian. P. Edmundus J. Burke (83/61) New York; 24 ian. C. Michael Goergen (53/32) Reading; 24 mart. P. Iosephus Ford (60/42) Philadelphia; 26 apr. P. Iosephus M. Stadelman (83/64) New York; 2 iun. P. Franciscus O'Malley (43/23) Buffalo; 2 aug. P. Iosephus Renaud (81/65) Baltimore; 15 sept. P. Gulielmus O'Gorman (70/55) Philadelphia; 16 sept. P. Georgius Kelly (65/48) Washington; 26 sept. P. Ezechias Greenwell (51/33) Chaptico.

Missouriana: 7 nov. P. Leo Mullany (56/32) Omaha; 10 nov. C. Iacobus F. Gustkowski (23/3) Florissant; 3 mart. P. Patritius Harvey (63/38) Florissant; 27 mart. P. Ioannes M. Lyons (72/50) St. Louis; 27 mart. C. Henricus Hendrickx (73/52) St. Louis; 8 maii N. S. Raimundus Eisenzimmer (21/2) Florissant; 21 iun. C. Thomas J. Conroy (75/41) Florissant; 1 iul. P. Patritius Mullens (70/51) Milwaukee; 3 iul. P. Carolus Crotty (54/34) St. Louis; 7 aug. P. Ioannes Mathery (86/68) St. Louis.

Neo Aurelianensis: 24 nov. P. Raphael D'Orsi (83/68) Grand Coteau; 22 apr. C. Franciscus Quaranta (65/37) Grand Coteau; 22 iun. P. Amatus Snebelen (75/55) Grand Coteau.

Novae Angliae: 28 oct. P. Iosephus G. Williams (66/48) Pittsfield; 15 dec. P. Carolus P. Gisler (74/54) Boston; 11 ian. P. Paulus R. Sullivan (44/25) Chestnut Hill; 12 ian. C. Ioannes Berigan (69/14) Weston; 8 maii S. Cornelius Lehane (21/3) Pittsfield; 17 maii P. Thomas F. White (85/55) Weston; 24 iun. S. Henricus F. Lyons (24/2) Pittsfield; 29 iun. C. Michael Lynch (68/23) Kingston; 23 sept. P. Gulielmus McGarry (48/31) New York.

Oregoniensis: 17 oct. P. Ioannes Durgan (74/54) Portland; 22 oct. P. Ioannes Sifton (69/53) Hooper Bay; 18 dec. P. Hubertus Post (78/58) Spokane; 27 dec. P. Ioannes Post (86/59) Spokane; 4 ian. P. Iosephus Chianale (81/55) Spokane; 23 ian. P. Eduardus Cunningham (60/38) Pilgrim Springs; 14 apr. S. Ioannes B. Fox (23/5) Spokane; 4 maii P. Samuel Coogan (39/18) Portland; 15 maii S. Robertus M. Luger (29/11) Alma.

Bohemiae: 30 ian. P. Franciscus Krus (70/41) Benešov; 12 febr. P. Iosephus Spatny (56/27) Praha.

Croatiae: 24 dec. C. Antonius Medved (36/10) Zagreb; 25 ian. P. Bruno Foretić (61/42) Zagreb; 7 apr. P. Franciscus Xax. Hammerl (83/65) Travnik; 15 maii P. Aloisius Zužek (76/52) Maribor.

Poloniae Maior. et Maz.: 6 ian. C. Matthias Szydłak (68/45) Wilno; 18 ian. P. Boleslaus Szopiński (61/43) Dachau; ? febr. S. Ladislaus Szulc (31/12) Dachau; 16 febr. P. Iosephus Czudek (58/41) Dachau; 26 febr. P. Stanislaus Sopuch (72/57) Warszawa; ? maii P. Ludovicius Cichoń (78/61) Wilno; 8 maii P. Casimirus Wach (67/47) Warszawa; 7 iul. P. Aloisius Bukowski (68/42) Czersk; ? ? C. Stanislaus Komar (59/17) Dachau; ? ? S. Stanislaus Janicki (22/5) Dachau.

Poloniae Min.: 29 dec. C. Franciscus Osuchowski (82/44) Starawieś; 9 ian. P. Thaddaeus Chabrowski (31/16) Nowogrod Nizny; 19 ian. P. Franciscus Kałuza (64/20) Dachau; 27 ian. C. Ioannes Bińkowski (74/50) Dachau; 9 febr. P. Stanislaus Pykosz (75/59) Starawieś; 17 febr. P. Ioannes Holik (79/53) Starawieś; ? mart. P. Iulianus Lętkowski (34/7) Oświecim; ? ? C. Ioannes Krzysik (65/45) Chyrów; ? ? P. Casimirus Konopka (62/41) Lwów; ? ? S. Iosephus Leńczyk (26/6) Dachau.

Slovakiae: 13 sept. S. Vendelinus Nemček (24/6) Ružomberok.

Argentinensis: 6 nov. C. Firminus Vilar (78/48); **Buenos-Aires**; 9 ian. S. Ioannes Mercader (27/12) Montevideo; 2 iul. C. Franciscus Cabanach (63/42) Montevideo; 20 iul. P. Stanislaus Martin (72/53) in Bolivia; 11 aug. P. Ioannes Isern (72/56) Buenos-Aires; 13 aug. C. Antonius Font (63/40) Córdoba.

Brasiliae Cent.: 18 apr. P. Aloisius Yabar (85/64) Itú; ? sept. P. Henricus Castro (46/16) Anchieta.

Brasiliae Merid.: 13 aug. 1940 C. Gulielmus Böhler (86/60) ?; 19 nov. 1940 C. Carolus Andersen (82/63) ?; 6 ian. P. Hermannus Mulert (67/46) ?; 1 apr. C. Ioannes Schmalzgrüber (82/57) ?; 6 apr. P. Stephanus Herz (55/28) ?; 20 aug. C. Michael Schuster (73/56) ?; 28 aug. P. Henricus Liese (80/54) ?.

Brasiliae Sept.: 21 dec. C. Iosephus Oliveira (74/46) Recife; 17 ian. C. Franciscus Valente (35/14) Bahia; 27 febr. P. Iosephus Bernardo (68/51) Bahia; 14 sept. P. Franciscus dos Reis (78/59) Bahia.

Chilensis: 30 nov. P. Aloisius Canudas (70/54) Santiago; 14 aug. C. Laurentius Ferré (76/54) Marruecos; 27 aug. P. Dominicus Roselló (68/39) Santiago.

Colombiana: 9 maii C. Raimundus Uzcanga (69/51) Barranquilla; 10 iun. P. Faustinus Garaizábal (70/49) Barranquilla; 27 iun. P. Seraphinus Días de Tuesta (67/47) Quito; 15 aug. C. Wenceslaus Ceballos (75/42) Medellín.

Mexicana: 3 dec. C. Iosephus A. Corta (68/35) Santa Tecla; 17 dec. C. Iosephus García (58/33) Parras; 23 dec. P. Franciscus Beiras (71/57) El Paso; 8 apr. P. Michael Kubicza (72/53) El Paso; 3 maii P. Bernardus Damilano (60/41) Omaha; ? ? P. Iosephus Plancarte (52/9) Mexico.

INDEX

140